Adiunxi uos uni uiro, uirgi-
nem casta exhibere Christo. 1. Cor. 11.

Veni & ostendam tibi
sponsam uxorem Agni. Apoc. 21.

Adiunxi uos uni uiro, uirgi-
nem casta exhibere Christo. 1. Cor. 11.

Veni & ostendam tibi
sponsam uxorem Agni. Apoc. 21.

METHODVS CONCORDIAE ECCLESIASTICÆ, POST OMNIUM SENTENTIAS, A MINIMO FRATRE MONSTRATA, NON PRÆSCRIPTA.

IOAN. XIIII.

Pacem relinquo uobis, pacem meam do uobis.

LIPSIAE,

NICOLAVS VVOLRAB.

M. D. XXXVII.

¶ Cum GRATIA & Priuilegio.

MONARCHIS, PONTIFICI, Cæsari, Episcopis, Principibus, Magistratibus, Doctoribus, & uniuersis, qui nominãt CHRISTI nomen, Dominis ac Fratribus. S. P.

QVANDO TANto turbine atque intemperie, omnia nunc sacra prophanaque, summa cum ignominia Christiani nominis, ac maximo cum periculo Rom. Imperij miscentur, nec tempestas hęc malis innumeris finem adhuc datura uidetur, nemo bonus opinor cu-

iuis ultimorum etiam hominum uitio uertere, adeoq; nec ipse merito uereri potest, ne fraudi sibi sit, qui rebus usqueadeo afflictis atq; inclinatis simplici fidelicq; animo consultū cupiat. Certe in mari, ubi inhorruit unda tenebris, atq; cito uenti uoluunt mare magnaq; surgūt æquora, uel cuiuslibet connauigantis auditur consilium, dummodo id saluti cōmuni cōducere spes sit. Etsi uero ego inter ultimos uix locum sortior, nec omnino nescio quid me deceat, attamen quando in eadem naui sum, quæ cæcis nunc errat in undis, & eidem periculo obnoxius, cui primi quiq;, ad hæc uidens subobscure licet, qua ratione imminens naufragiū præuerti queat, ima-

at,imaginabor, me quoque post omneis consuli. Meminerint interim, quibus absurdum & plane indecorum uidetur a tali homuncione sententiam peti, tritum illud: Sępe est olitor ualde opportuna loquutus. Vos Nauarchæ, quibus orbis conditor, dominantium dominus Opt. Max. gubernacula huius ingentis nauigij credidit, expergiscimini, Imo tot tamq; crebris cõcussionibus iamdiu experrecti, inspicite in ineuitabilem Necessitatem. Laborat ex omni parte uastissimis fluctibus mirum in modum iactata nauis Ecclesię. Reuoluite annales, & dicite, si unquam peius in orbe fuit. Auditis benigne uideo, nec despicitis uilitatem meam. Quare ani-

mum ſumam, & humo paulum aſſurgẽs, cõfidentiuſcule ad uos, o columina, ut cœpi, loquar. Eñ uero non eſt dubium, quin neceſſitatem intelligatis prudentiſſimi, & tempeſtatem mitigatam ueli-tis fidiſſimi. Illud modo reliquũ eſt, ut ad id totis pectoribus incumbatis, quo mitigetur, & mitigetur ſine grauioribus malis, ne morbo pharmacum intolerabilius fiat. Qui ſuadent, ut omnia in fumum & cinerem uertantur, ut nephando ſanguine foci ac aræ reſpergantur, ut parricidijs macu lentur Chriſtianorum manus, nę illi de ſuo ipſi ſpiritu uerum teſtimonium perhibent. Sapientẽ decet cuncta prius q̃ armis experiri, & ſemper debet uel iniquiſſ. pax

iuſtiſſi

iuſtiſſimo bello anteferri. Proin de quoquo mõ fieri poteſt, ſuccurrite læſis Eccleſiæ rebus, Marte Bellonaq; domi relictis. Quorſum enim in corpora ſtringatur gladius, quũ animis diſſentitur, a ferro tutiſſimis? Quãto igit̃ pſtabilius fuerit, ut coacta Synodo, & aduocatis Partibus, cauſſam maximã ita trãſigatis, ut uos, hoc eſt eccleſiaſtica capita decet? Partes pace indignæ ſunt. At eccleſia hoc dignior, & ut pacem paret, & ut tueatur. Partes non parcerẽt, ſi facultas eſſet. At eccleſia eſt, quę cum Chriſto capite ſuo arundinem quaſſam non cõterit, quæ ouem errabundam ueſtigat, ad gregem reductura, quæ ferre poteſt & debet magis, q̃ inferre iniu

riam, affligiq; magis q̃ affligere. Recogitate, non sine consilio Dei funestatam Ecclesiam. Nec percussam, si extra culpam omnem fuisset. Qui percussit contemnendus minime est, utcumq; contemnendæ sectæ uidentur. Voluntas est percussoris, aut ut mollius dicam, monitoris dei iusti, ut suæ formæ restituatur Ecclesia. Eius certe uoluntati omnia posthabeatis necesse est, si conspectu Glorię eius in sempiternum frui cupitis. Quæ fruitio mirum si non plus ad actionem caussæ sanctiss. trahat uos, q̃ retrahat fugacissimæ uitæ huius breuissimorum commodorum usus. Sectæ multas ciuitates obcupant, & cõtinent in persuasione animas innumerabiles,

quas

quas ut pium est reuocare, ac e leonis fauce ereptas, bono pastori asserere, ita crudelissimũ, siue non sanatas perimere, siue languori medicabili relinq̃re. Interim uos quoq; proceres, doctrinæ istius, quam utinam honestius q̃ Lutheranam uocare liceat, propugnatores, per uestram salutem oro, per dignitatẽ heroici nominis uestri obtestor, ut in uos paulisper introgressi, uestra serio perspiciatis. Frangat animos superbulos Timor domini. Commoueat commoneatq; conscientias uestras uerbum domini, cuius schedulam gestamen uestrũ esse gaudetis. Cohercete uiolentiam perturbationum. Abscedite paululum a persuasione fallaci. Nolite putare, id

orbem Christianum esse, quod in uos operoso conatu quorundam audacia traiecit. Errare orbis potuit, identidem uos. Laus perpetuæ sapientiæ ab utrisq; soli deo attribuēda est, Nam ille demum nunquam errauit. Breuiter si libet, pax erit uestro bono. Pax optima rerum, quas homini natura dedit. Etenim ipse nunc aliud non ago, q̄ ut societate animi iungantur, ut Ecclesia solide consocietur, ut coalescat in unius populi corpus. Tolli uolo bellorū seminaria, ut uideor mihi non pessime mereri de humano genere, nō εἰρηναῖος solum, uerumetiam εἰρηνοποιὸς ccu Antenor quispiam existens. Liceat imitari mihi Cratem Thebanum qui ubiq; illud stu-

duisse

duisse legitur, ut pacificis sermonibus dissidentes domus cõcordiæ pristinæ restitueret. Cum hoc philosopho quidã Gregorium Nazianzenum contulit, qꝑis pari consilio dissidentes in Fidei caussa, ad eandem sententiam reuocare satagerit. Peropto ut uia aliqua ineatur, qua decerni queat concordia incruenta. Atqꝫ utinam ipse Christus uerus Slomo, caduceator, ac idem pater patratus, hoc in negocio esse dignetur, & feriat defectionis futuros autores, uti Chore olim, non uti porcum saxo silice, nec stabiliat sartam concordiam legibus Amphyctionicis, sed unctione arraqꝫ spiritus sancti. Cæterum collatis aliorum suffragijs, meum in postremis adijcio, pau-

percu

perculi uidelicet donariolum ad communem Eccleſię opem. Confido tamen aliorum cõſilia in tantum fore eximia, ut ſine pauperie mea ſola ſuffecerint. Id quod cũ primis optarim. Quis enim ego ſum, ut mihi ſumam uel mutire corã dñs? Excitare domine IESV, ſerua nos, perimus. Ipſe uiſita ouile, ipſe uiſita uineam tuam, ſi unq̃ uiſitaſti. Captiua corda Monarcharum, poſſide ea, rege ea, ut tandem fiat, quod te uelle ſcimus. Sat datum Malo. Sat ſpretus a familia tua mœres. Bene Valete.

In Aprili. Anno
M. D. XXXIII.

Georgius Vuicelius presbyter.

Beati

Beati pacifici, quia filij Dei uocabuntur.

VTRISQVE LEctoribus.

Ira procul. Moneo, non carpo, ueſter amicus:
Quotquot ab Eccleſia progenitrice ſtatis.
Nõ in uos: utinam non χίσματα: deuehor hoſtis,
Sed tango molli uulnera ueſtra ſtylo.
Eſt germanus amor qui perpulit, eſtq; uoluntas
Officioſa. graui ſcribere pauca manu.

Vti

VTINAM LICEAT DICERE
Christianis nobis:
Haud unq̃ neq; concio nos neq;
curia dictis,
Audiuit pugnare, animo sed sem
per eodem,
Et sentire eadem, atq; eadem de
cernere uidit.
GERMANIA AD MONAR
chas uociferatur.
Terrarum domini uos inuoco:
Maxime Cæsar
Teq; gerens Petri Maxime
Papa uicem.
Et uos o Proceres quotquot cõ
plector: Adeste,
Heus agite ut mea sit sors
meliore loco.
Maxima me quatiunt incommo
da. Tota peribo,
Ni miseræ iustam. Clamo:
feratis opem.

DOCTRINA. I.

ONCEDAT pars Lutheri Ecclesiæ doctrinam Christianã, siquidem hãc ab initio apostolicã ac rectam tenuit, assentiente sacra scriptura, una cum uetustiss. patrum commentarijs, Retineatur mordicus ecclesiastica doctrina, et sit hęc inter omnes una eademq; , de Fide ter adorandæ Trinitatis, de infidelitate, de regeneratione, de iustificatione, de fiducia, de operibus, de Cruce, de prouidentia, de lib. arbitrio, de pœnitentia. Hæc religiõis nostrę capita sunt, cuiusmodi ueritas penes Ecclesiam catholi-

tholicam, sic uolente ac curante CHRISTO, est eritq; semper. Sectæ recte docerent, nisi suum insidiose superseminarēt. Melle prælitus gladius est, quo miseras occidunt animas. Ecclesia contra concedat aliquid parti, in excussione dogmatum, quæ uocant scholastica, quibus multi Tragicū hoc & immane sæculum acceptum ferunt. Nam si moderni Theologi prisca Theologia contenti esse, q̄ recentem excogitare maluissent, uix fuisset tot hęresibus pressa Ecclesia. Carere ea absq; detrimento potest multis uocum inanitatibus, quas sæculis aliquot prętter necessitatem inuenit Monastica atq; Academica scientia, & inuentas imprudenter ingessit quorundam fa-

dam faſtus, adeo, ut Carnificinæ ſimul & Gehennæ tradatur oui-cula CHRISTI, quæ illas non cer-to crediderit. Suaſerim itaq; ſo-brietatem ijs, qui e ſcholis ſuper-ſunt. Ineant obſecro cum ani-mo ſuo rationem, quàm mini-me Chriſtianæ profeſſioni con-gruat, non ſolum nouum do-cendi genus inuehere, uerumeti-am noua quædam docere, quæ neſciuit antiquitas. Quomodo defendent coram Chriſtiana Sy-nodo, imo quomodo excuſabũt coram iudice CHRISTO, quæ ma iore damno q̃ utilitate Eccleſiæ DEI, diuinis literis & orthodoxo rum patrum ſcriptis addiderunt, huc proficientes, ut additamenta illa ſua plus dominarentur in ec-

 cleſiaſti-

clesiastico populo, q̃ ipsum uerbum DEI & doctrina patrum, huius riuulus? Moneo, recolãt scholastici iudicia atq; ingenia mortalium nunc diuersa esse ab eo sæculo, quo genita fuit moderna Theologia. Consyderent sese indies decrescere, & suam Modernitatem ubiq; rideri, tãquam inanem tinnitũ, ac aëris uerberationem. Perpendant secũ, prophetas, apostolos, martyres, eremitas, episcopos, pastores, doctores a primordio sanctissimos pariter ac eruditiss. ignorasse Sorbonicam Theologiam, nec minus tamen CHRISTO suo unice amabiles seruos extitisse. Nam si damnandi sunt, quotquot Neoterica ista nesciuerunt, & quotquot eadem neglexerũt,

xerunt,non erit in cœlo Ignatius, non Dionysius, nõ Iustinus,non Hieronymus , non Chrysosto mus,nõ Orosius,nõ Beda: Quid recesere laboro ueteres, quorum quanta est multitudo , tanta fuit magnitudo , tanta sanctimonia, tanta scientia , tanta celebritas? Quare consentiant cum Ecclesia & Sectæ & Sophistæ, ut præter Scripturam arcanam ac pñssimo rum Ecclesiæ magistrorum pro bata monumẽta, in posterum ni hil amplius aut doceatur aut cre datur. Imo quum Parisienses sine dubitatione confiteantur, sacram scripturam sufficienter determi nasse, quę pro salute fidelium de terminari expediat, Reliqua uero dispositioni ecclesiæ relicta &c.

debebant ipsi sibi monstrare uiam, & huius censuræ limen non transcendere. Sacra certe scriptura nihil horum omisit, quæ pro sua cuiq; salute necessaria sint, Verumtamen Ecclesiæ tot e populis amplissimæ collectæ gubernatio exigit Traditiones quasdam, ceu adminicula, quibus tanta fidelium multitudo commodius regatur, Necq; tamen nisi eas traditiones, quæ non solum cum scriptura non pugnãt, uerumetiam consentiunt, & inde robur suum colligunt. Cęterum ne mireris, ueterum scripta cum scriptura nõ temere copulo. Nam tria perquam necessaria Ecclesiæ præstiterunt ueteres: Primum, propugnarunt gladio uerbi fidei nostræ synceritatem

tatem aduersus diaboli creaturas hæreses, Deinde enarrarunt primi sacra Biblia, Postremo uerbis factisq; ad summum docuerunt Christianam uitam. Horum nihil egregie prestant neq; Schismatici neq; Scholastici, cur igitur ueteres illos non præferam? Attamen si quid pri bonique siue in scholastica siue in schismatica theologia inest, id ego adprime tenendum duco. Etenim e sterquilinio quoq; probum aurum colligitur, Nec est ullus liber tam malus, ut non aliqua parte prosit.

BIBLION. II.

ELAGITAT NECESSItas huius rei, ut sint conuersa Biblia in linguas

unicuiq; nationi uernaculas. Et hoc uolunt Sectæ, nec opinor reclamãt cordati uiri catholicę partis. Sed hoc opus hic labor, ut ea catholikῶς, non hęretikῶς uertant, idq; non ab uno aut altero, sed a compluribus ijs, qui in omni linguarum genere ueluti cyclopædiam absoluerunt, & qui eum laborem obeant ecclesiastica authoritate. Res maximi momenti est, habere Biblia fontibus suis ad exactiss. amussim respondentia, & in quibus nullum insit uitium ceu lepra candida, dogmati priuato subseruiens. Porro præter alias commoditates, quas secum afferet interpretatio primarię linguę, magnum incitamentum Ecclesiastis erit, ut uel literati uulgi metu

accu-

accuratius cautiusq; scripturæ loca in cathedris usurpent, utq; constantius in officio se contineant. Nec periculum est, ut hinc hæreses pullulent, si in sua quisq; statione modo steterit, sicq; cathedras puras custodierit Ecclesia. Ad hæc plurimum obstabit radicibus amarulentiæ uigilatrix Inquisitio, quę committenda est sancte doctis uiris, non istis, qui uenerūt perdere magis q̄ seruare, obliti cū suæ professionis, tum exempli dominici. Erit quoq; nouæ hæreseos obex secreta confessio, & episcoporum usitatio.

CONCIO. III.

INTER OMNEIS æque conuenit, uerbum DEI prædicandum esse, & nihil tritius in ore omniũ, atq; uerbi DEI nomenclatura. Vtinam uero ab omnibus tam prædicaretur uerbum DEI, q̃ iactatur ab omnibus uerbum DEI. Partes ex Ecclesia scissæ usq; ad monstrum iactant, qua immoderatione suspitionem magnam nobis importarent, si alias non apertissime de errore eorum cõstaret nobis. Catholici non usq; adeo grandia iactant, Sed q̃s ego audiui nuper, fidelius tradunt Verbum. Pars pacis erit, si Sectę domi suæ prognatas postillas, & Catholici suas Legendas, aut repurgent aut abolebant. Nonne æqua est conditio?

Postil-

Postillis nouis nihil immundius est, & Legendis quibusdam nihil mendacius. Impius uero sim, si omnia ex æquo damnanda reijciendaq; esse existimem, quę de sanctis DEI ad posteritatem transmiserunt pij historiographi. Diagoræ nostri caueant a temerario iudicio. Illud perquã necessarium, ne posthac e cathedra negocium dei uentris agatur, ne proceribus aut plebi uulpinæ caudæ obtrudantur, ne iritentur uel ad speciem mali principes, ne perturbationibus indulgeatur, ne palam ridicula ac puerilia admiscеantur, summatim ne prædicetur de ceruleis anatibus. Item ut aduigilетur, ne posthac exaudiantur odiosa cõuicia, quibus alter alterum ob

dissidia fodit, non ædificationis, sed ultionis cupidine. Vtinam uero a docto catholico quopiã, qui potens in scripturis sit, christiane concionandi modus cõficeretur. Profecto concionatoribus, quorum industriæ negatum est, sine Commẽtarijs docere populum, prædicanda abunde submini-stra rint Homiliaria quorundam labore recognita, quæ uelut eclogæ sunt uetustissimorum Scriptorum. Nec committendum est, ut Concionatores careant uno atq; altero Scriptorum illorum, quos Biblicis studijs rectissime adiunxerint. Illud in primis optãdum, ut a doctiss. orthodoxis in usum Ecclesiæ Germanica Postilla: quã uocant: componeretur, idq; cum primis

primis ex ſacri Biblij certis oraculis, & ſecundo loco ex uetuſtiſſimis & optimis quibuſq;, tã Græcæ q̃ Latinæ eccleſiæ luminibus. Præterea ut colligeretur Agiologion e probatioribus, fideq; & religione non indignis legẽdis, maxime ex hiſtorijs ac exemplis indubitatis, ne iterũ cauſentur Sectæ fabulas pro euangelio prędicari. Non ſunt omnia fabulę, quę de geſtis diuorum diuarumq; memoriæ reliquerũt ueteres, ut nos prouocarent ad idem capeſſendũ pietatis iter. Confido hæc null partium diſplicitura.

Cedat

CEDAT ECCLESIAE Sectarum examen in negocio Baptismi. Recte nanq; de isto sacramento, de eius institutione, natura, utilitate ac significatione docuit, assentiente Scriptura DEI, & priscis doctoribus. Porro quod ad usum unguenti attinet, certiss. est, cum ritum a traditione Apostolica promanasse. Nec uideo idoneam caussam, cur ita contemni omittiq; debeat isthuc mysterium. Nam quæ contra allegant, nullum habent pondus. Imo ob instaurandam atque retinendam unitatem haudquaquam reluctari uellem, si cęteris quoq; ceremoniis suis Sacer Baptismus ornetur, quas non sine consilio addidit

dit olim ecclesia, tantū absint abu
tentium uitia, & arceatur fiducia.
Consecrationem elementi una cū
precibus & cantionibus nemo pi
us reiecerit, nisi accedat aliunde
quod reiici mereatur. Præposte-
rum est, omittere pia quædam, et
facere impia circa Bapt. Sancto-
rum inuēta negligimus, At pom-
pam mulicbrem, at iocos risusue,
at superstitiones aniles, at temu-
lenta conuiuia, diabolicorum an-
gelorum inuenta circa Bap. con-
stanter seruamus. Iam uero ne Ec
clesia salubria improbare uidea-
tur, donet hoc bonorum homi-
num desyderio, ob eandem uni-
tatem, cuius gratia alij de suo sen-
su concedunt, & ob animas infini
tas, quas spes est e Retinctor- fœ

dere

dere reductum iri, Nempe ut curet Bap. par. religiosius, & maiore solicitudine peragēdum. In dedecus fidei nostræ uergit, & immodica parit scandala, tantæ rei neglectus. Præterea donet & illud, nimirum ut ordinetur Catechismus, nō Luthericus, sed Apostolicus. Constat e patribus, qualis ille olim fuerit. Hoc summopere necessariū in Ecclesia. Ad hæc, ut professio baptizatorum infantium per Susceptores facta, in puberibus una congregatis solenni ritu renouetur, quo illi certiores fiāt de accepto baptismate, & animis nouellis tenacius inhęreat sanctiss. professio atq; abiuratio semel facta, ne putare pergant nostri homines, baptisma consuetudinem

dinem esse, & ludum, aut quæstum sacerdotalem, adeoq; cui satisfaciat uncta popina, ac inita cum Susceptoribus amicitia. Ex DEO non est, quisquis hoc consilium longe saluberr. inani caussatione præpediuerit. Consulitur ratione Christianis baptizatorũ moribus, Quæ res ceremoniarũ finis est. Isthuc pium obsequium pariet Ecclesiæ amicos ex inimicis, & e Schismaticis catholicos, præterquam quod præclarũ monile eius erit, & utilitas nullis uerbis satis prædicanda.

EVCHARISTIA. V.

CEDAT ET HIC Ecclesiæ Schismatica nouitas. Nam quod illa habet,

bet, non ab hesterno accepit, sed a principio sui. Nec dissentit a recepto Scriptura utriusq; Test. si simplici oculo germanũ sensum huius cõtemplere. Fateatur pars Lutheri Apostolicos, & priscos Theologos in hac re, sicut in pleriscq;, recte sensisse. Pars Zuuinglij confodiat Berengarium. Ecclesiastici corrigant Missæ dedecoros abusus, ac st. idas superstitiones, & erit Concordia læta. Amputetur consuetudo Sacrificãtium ob nummulos, atq; adeq; sacra impie uendentium, atte-
stante illorum conscientia. Minuatur ingens turba quotidie missantium propter saginandum æquale-
culum duntaxat. Non admittantur sacra concubinariorum, quos

deus

deus peius odit, atq; manifestarios incestos. Meminerimus in decretis Pontificum pie caueri, Ne quis Missam eius presbyteri audiat, quem scit indubitanter concubinam habere, aut subintroductam mulierem, cuiusmodi mulieres Græci Theologi Parisactos appellabant, quemadmodum legis apud Eusebium: Diuus Chrysostom. uocat Synisactos, in Sermone cõtra concubinarios. Sint sacerdotes, boni, docti, Zelotæ domus DEI. Faciant illi sacra in omne æuum memorãdæ Hostiæ religiose, fideliter, serio, denique hoc animo, ut inde glorificetur DEVS, & ædificetur proximus. Satius est paucas Missas fieri cũ fructu, q̃ multas non sine fructu so-

C lum,

lum, uerumetiam cum peccato horrendiſſ. & ſcandalo grauiſſ. Altaria (quæ Menſæ etiam dominiueteribus dicuntur) cereos, mixturam calicis, ueſtes, nolas & id genus alia nō puto damnabūt Sectæ, ſi modo grauiora emēdentur. Nec ceremoniolas Liturgicas horrebunt, nec faſtidient uarios miniſtri geſtus, quādo quidem nil impietatis habent eiuſmodi, ſed potius ob pietatē excitandam inſtituta ſunt a maioribus, quorū ueſtigia ſequi, honeſtiſſimum eſt. De Canone lis ingens eſt ſub iudicibus non nimis integris, Verū ſi ille æquum interpretem adipiſcatur, mirabor, ni plures inueniat, qui reo, q̄ qui actori faueant. Oppreſſus fuit a Martio furore, cauſſa

cauſſa nondum plene examinata. Quod ſi ille habet nõnihil uel ſuperuacanei uel incõgruentis, Pontificis erudita pietas & Euangelicus zelus non patietur iſthuc nos ignorare. Illud exerte affirmo, Sacrificium eam cœnam rectius dici credicq; poſſe, q̃ Teſtamentum. Quod autem queruntur de Miſſis diuorum, prodiue eſt explicatu, ſi Liturgiam ſemper eandem, atq; ſui per omnia ſimilẽ eſſe noris, Orationes uero huius & lectiones uarias. Nec oraẽ ad diuos, ſed ad DEVM uuũ, ut is ob amorem quo diuos ardet, calamitatẽ noſtrã in hoc periculoſiſſimo uitę Salo clemens reſpiciat. Illud cum gemitu, cũq; multo cruciatu cordis fateri nos oportet, Nimirum

Missas extraordinarias a sacerdotibus mercenarijs non inuitis solum & semper molestis, uerũetiam impuris sæpenũero ac stomachabundis, non legi, sed murmurari celeriter sine mente sineq; fructu. Aiunt se cogi ad priuata Altaria, alius a decano, alius a præfecto, alius a fundatore, non secus ac cogi soleant mancipia ad seruiles operas. Vtinam talis Latria CHRISTO tã sit grata, q̃ quidam opinati sunt. Latriã CHRISTO dignam in sacra Eucharistia tueamur unanimes, sed interim consulamus turbatis fratribus, qui ista sua miserrima sacrificatione animas suas in gehennã demergunt, dum perpetuo iudicium sibi manducant & bibunt. De participatione

one communionis facilis erit consensus, si necessitatē legis de utraque specie laxerint Sectarij, sique ecclesiastici utraq; uescentes Erebi duci non miserint, sed medium utriq; tenuerint. Enimuero laudandum, si generali Synodo consentiatur καθόλου in utramq;, siquidem olim ita cōmunicatum in Ecclesia. At non laudandum, rupta unitate, utraq; uesci, & spectare quantum sumas, non q̄ digne sumas, ad hæc cogitare, ut ambas magis partes, q̄ unam edas, non quamobrem, & in quem finem edas, ut iam non commemorem, nefas esse, q̄d Sacramentum communionis cōtra communionem sumas, adeoq; cum odio tartareo communionis totius, pro qua

CHRISTVS mortuus est. Nec est partibus temere reiicienda cõsuetudo, qua cibantur domi quisq; suæ fideles in domino morituri, licet res, nisi contemnatur, periculo salutis careat. Omnia eius generis sancita sunt, in profectum credentis populi. Si quid uitij accesit, uitium tollatur, res uero restituatur, et concordia alat. Quin et illud uix quisquam improbauerit, uidelicet, ppius facere ad Mysterium synaxeos, si tota simul Ecclesia participet, q̃ sicuti nunc plerisq; mos est, ut non sit, cur displiceat consuetudo paschalis fractionis. Et nisi mores populi palam corrupti essent, uideretur consultum, si sæpiuscule collectim participes sacræ cœnę fieremus, ut hoc

arcti-

arctius coagmẽtarentur, ac in charitate mutua altius irradicarentur animi.

CONFESSIO.

VI.

SI NONNIHIL DE CONfessionis onere remittãt ecclesiastici, non difficili opera reuocandi huc homines fuerint, qui iam a mentione etiã confessionis, tãquam a Pharaõnismo quopiam uehementer abhorrẽt. Anxietate circumstantiarum, & tortura conscientiarum (quæ est materia desperatiõis & odij) sublata, cõsentient Lutherani in confessionis salubrẽ deuterosin, quorum aliqui dudum ad eam redire, sed adacti a uexillifero Marte. Et crediderim qui sunt de gre-

ge Zuuinglij non recusaturos, si sit tam examen, q̃ confessio, quo in negocio singillatim disquirat Pastor ecclesiæ, quales habeat oues. In quo inquã scisciterur, quid quisq; credat, quomodo uiuat, num delegato officio, aut susceptо seruicio satisfaciat &c̃. item si eadẽ opera explicet rationes conscientiarum. O optime conlocatas horas, si ad eum modũ transigantur. Tale sensisse uidetur, ne putes me hoc noue comminisci, Antho. Episc. Florentinus in suo Exomologetico. Illud haud mediocriter ad reuocãdam plebem adiuuabit, si id negocij committatur optimis Ecclesiæ ministris, quibus cura est de ouibus, & interdudatur uia sordidissimis quibusdam

busdam mercenarijs, quæstuarijs, tyrologis, quibus cura est de lana lacteq; infelicis caulę. Quod in nullius contumeliam dixerim. Nec nisi istos noto, quorum culpa factum est, ut Germania tot periculosissimis Sectis quatiatur, irascente nimirum DEO. Ob hæc & huiusmodi scandala ubiuis obuia, adeo inuisa plerisq; est confessio, ut dici non possit. Proderit hoc quoq;, si posthac acerbissima carpantur flagitia, & doceatur diligentiss. ne quis fidelium quotidianam confessionem prætermittat, quam audit in occulto pater cœlestis. De hac sæpe Ioannes Chrysostomus.

HANC VNA CVM POE-nitentia publica ab initio habuit ecclesia, iuxta mandatum sacræ Scripturæ. Declarant istud reliquiæ nonnullæ in quibusdam locis, & Synodales accusationes, quas, licet pecunia uitiatas, annuatim uidimus in nostra prouincia. Arguit hoc insuper utilissimum consuetudo Ecclesiæ, qua in Dominica Palmarum facinorosis interdicit usum Eucharistiæ. Scribit etiamnum de ea Io. Eccius, quæ ego quidē uiderim minime aspernanda. Sed sæculis aliquot peruerterūt hoc bonum homines quidam, uoluptatū magis, q̄ DEI amantes. Ergo si redaceperit uirgam suam mater Ecclesia, nō dubito, quin sit multis Sectis,

ctis, præsertim Anabapt. persua-
sura, quod DEVS reuera in ipa sit.
Flagellet non debitores pecunia-
rum, sed criminum, hos terrenæ
potestati committēs. Crimina in-
ualescunt in populo deterrima,
ut periculum sit: nisi ecclesiastica
potestate νομικῶς coërcebātur: ne
deterior fiat, q̄ fuit olim in genti-
litate, cum nondum inter nos no
minatus esset CHRISTVS. Casti-
get item præfractos, qui contu-
maciter unitati publicæ obnitun-
tur, conantes peregrina indu-
cere, ad demolitionem absoluti
ædificij. Verū eiusmodi ipsa pro-
be nouit, ut a me tale edoceri, su-
peruacaneū uideatur. Iam quod
ad Satisfactionem attinet, repu-
tent Sectæ secum, quāto fructuo

sius

sius sit, indictę Satisfactionis obe
dientiam præstare, q̃, uti nunc fit,
peccatis suis peccantes adblandi-
ri. Cogitēt fuisse neq; impios, ne-
que stultos, qui olim Canones su
per ea re decreuerunt non inuti-
lissimos. Imo ipsa æui huius incre
dibilis malicia doceat, q̃ opus sit,
criminosis satisfactionum leges
imponere. Conferant igitur suf-
fragia sua, qui hactenus inconsy-
derate refragati sunt, ut sit Pœ-
nitentia, Contritio atq; uerus do
lor interioris hominis, ob admis-
sa sua, sit Confessio tam priuata q̃
publica, sit Satisfactio tam priua-
ta q̃ publica, pro qualitate admis-
si, sit absolutio, quam unus dat ui
ce totius Ecclesiæ. In hoc modo
incumbatur, ut omnia rite, com-
posite

posite, & secundum ordinem in charitate fiant, iuxta Scripturas, & ueterẽ Ecclesiæ morem. Rom. curia tot malis edocta, cõtrahet, confido, pacis consuendæ gratia indulgentiarum largitatem. Nec committet, ut ob has, aut huiusmodi exigua, catholica concordia disrũciatur.

CONFIRMATIO. VIII.

RITVM CONFIRMANdi baptizatos, quod Sacramẽtum etiam sine impietate appellauero, despicatissimum habent Sectæ, non ob iustas causas, sed quia sic libet mentí cordis eorum. Si in hoc Episcoporum neglegentia peccatum est

hacte

hactenus, neglegentia damnetur, non id, quod per se bonum est. Non nititur fumo uentoq; Confirmatio fidelium a Baptismo, sed sacrarum literarũ authoritate pariter, & Ecclesiæ enascentis antiquitate. Atq; utinam cuncta eius generis noscitanda populo diuulgarentur aliquando, ut audiret, quid qua inscitia stoliditateq; cõtempserit. Proinde cõtempta uana gloria suffragentur uniuersitati Ecclesiæ Sectę, quandoquidem hic ritus Baptismo tuendo ualde prodest, & baptizatis maiorem in modum frugifer est. Episcopi tantum curent, ut citra scandalũ, uti sese decet, religiosiss. atq; accuratiss. confirment baptizatos, & cõmendẽt eos Grę et Verbo DEI.

Con-

CONIVGIVM.

IX.

IN CONIVGII CAVSA non difficulter concilia-
andæ cum Ecclesia par-
tes essent, si haberēt dilectionem unitatis, citra quam uix unquam intra unum ouile claudemur. Re-
ducat ad calculū Lutheri factio & retractet, quæ portenta, & q̄ non pudice admodū scripta ædi-
derit de Coniugio, de diuortijs, de iterando post diuortia, de gra
dibus, de polygynecia populi, de digamia cleri &c̄. Ecclesiastici cō-
tra remittant nonnihil de impedi
mentis, ne ob hæc impediat Con
cordia, qua nihil prius habuerūt Apostoli. Cur enim unitas scin-
datur, aut non resarciatur scissa

ob ea

ob eas res, de quibus usqueadeo nihil mandauit CHRISTVS, nihil tradidere Apostoli, nihil docuere Patres, quę denicꝫ necꝫ fidem, necꝫ bonos mores lædunt? Valeat Augustinus, si alibi, ad Ianuarium. Scrupus ingens est, q̃d quidam e Clero pro scortis uirgines uxores domũ duxerunt. At contra dedecus & inexpiandum scelus est, pro uxoribus p̃rostibula fouere. Hoc damnant Sectæ, illud probant. Ecclesiastici uero utrumꝫ damnãt, nec tantillo minus alterum, nẽpe turpius palam admittunt. Quid hic iudicabit Synodus? Neutrũ permittet. Optimum sane, si ut uetare, ita efficere isthuc posset, præsertim uti nunc sunt tempora. Si Thaides nõ permittentur

mittentur quibusdam uentricolis magis q̃ christicolis sacerdotibus, fœdabunt thoros uicinię, aut certe curabunt suæ libidini furtiuas lupas ac lenas. Hanc scyllã prospicite iudices. Sin permittentur pudicæ uxores, comes erit multa uis incõmodorum, maxime si duplicetur coniugium contra Pauli canonem. Hæc est charybdis. Vtro nunc flectant arbitri, non satis consilij atq; prudentię in promptu fuerit. Extra controuersiam optimum foret neutrum, at si alterutrum fieri oportet, tolerabilius esset, quod minus est, nimirũ, uirgo uxor una. Quod si ad uiuum secludantur a consortio mulierũ sacrifices, præbebit causam, cur nemo catorum

hominũ ſeſe poſthac ordinis odioſę pedicę ultro dedat, atq; hic iterum ſalebra eſt. Si uero conſilium eſt Epiſcopis, clero conniuere & clandeſtinos concubitus ignoſcere, perijt Religio, q̃ alioqui plus nimio inclinata eſt, ipſis ſatanę ſponte ſua traditis. Res undiq; plena eſt periculi, ſi quæ alia. Reclamat unus atq; alter decretorum canon, ne fiat, q̃d eſt tolerabilius: at ſunt contra in ijſdem decretis, qui nihil reclamẽt. Quin et Æneas Syl. periculũ intellexit, quum ambigeret, utrum potius ſtatuendũ. Et Ioannes Faber Epiſco. idemq; prædicator Euangelij ſcalpit caput, uidelicet dicturus de cõnubio presbyterio, unde titulum fecit: Dubitatio ſuper

uxo.

uxo. duc. Aitq; nihil dissimu-
lans: Auribus lupū tenere, quis-
qs rectū in eo loco deciderit &c.
Certe qui canonē aduersum con
iugij honorem imposuerūt, non
suspicari poterant, occasione cœ-
libatus tot scelestissima cleri stu-
pra in Ecclesia fore. Nec uerisimi
le est Calixtum, si iam in terris ui-
ueret, & pudicitiam eorum co-
ram uideret, qui lux salq; plebis
esse debent, temere aliquid pro-
mulgaturum. Viderint itaq; præ
sides Synodi, quid & quatenus,
aut uetent, aut permittant. Se-
dent in cathedra Christi, a qua
procul absunt insynceri motus. Si
ipsi, quod melius esse iudicabi-
tur, sectarum odio suppresserint,
& quod nocentius, pro affectu

priuato decreuerint, habebunt, cui decreti reddant rationem. Nos expectamus uocem Ecclesię, cuius membra sumus, olim excusati, utut res ceciderit.

VNCTIO. X.

NON RENITENTVR partes, hoc quoq; Mysterio uti, quod nihil minus est, q̃ res Scenica, Si uere æstimes. Literis Apostolicis, uetustate consuetudinis, & consensu maximo commendatur. Estq; eius non minima utilitas, si rite peragatur. Equidem nihil prętermitti debebat, quod e corpore migraturis conducere uideretur. Latent plebem ea, q̃ ibi geruntur ac dicuntur, nec nisi liquo

rem

rem in oculis habet, quem ridiculum arbitratur, & pretium exoluendum incusat, quo queritur sacrum uendi. Quo magis curandum ecclesiasticis, ut in posterum maiore uigilantia, atq; grauitate, res bona fiat, idq; sine conscientiarum laqueo, quasi in hoc salus sita sit si adhibeatur, exitium uero præsens, si non adhibeatur, item sine lucro, sine testamentorum aucupio, breuiter sine habendi spe, ne quid deterreat animos discedentes in concordiæ sententiam. Aliunde alatur diaconus, q̃ e Sacramentorum messe. Summa dicam. Si in timore & tremore ceremonias pias fecerint Ministri, nõ aberit, quin fidelẽ populũ & delectaturæ eæ sint, & ædificaturæ.

ORDO. XI.

SI ECCLESIASTICI non ceu cœli tertij oracula credēda nobis præcipiant, quæ de ordine scholastica theologia nuperis sæculis dogmatizauit, citra Scripturæ fere & patrum orthodoxorum testimonia, non possent non ad pacem accedere Sectarij. Neque em̃ non q̃ plurimum opus est Ecclesiæ, ut habeat ordinatos Episcopos, utq; illi rursus ordinent, & constituant presbyteros ac diaconos. In confesso est, ordinem sacrum, et eius gradus nullius papę quatriduanum figmentum esse, nec heri cœpisse Ecclesiam ordinare œconomos suos. Quid, q̃d ipsæ Sectæ ordinatos in Ecclesia non

non ordinatis præponũt. Et plebes nulla fere fide, neque honore ullo dignabitur eos, qui post hos sine ordine sacra tractaturi sunt, cuius rei iam diu documentũ dat. Irruere iam cœperũt etiam in Ecclesias homines quidam leuiss. nõ prophani modo ac egregie sæculares, uerumetiam flagitiosi scurræ, nullo proposito alio concionaturi & mensam illam suam paraturi, q̃ ut ueterem Eccleſiã subuertant, & suo uentri parent lautam culinam. Tanto melius scilicet habet nunc status clericalis, q̃ antehac. Præterea si solicite cauerant episcopi, ne tanto gregi inutilium iuuenum ad ordinem aditus pateat, sed ijs duntaxat, q̃ ætate, probitate, erùditione spectati

 satis

satis sint, & quos poscat Ecclesiarum necessitas, non sine uiciniæ bono testimonio, sed sine numerato precio. Tale nimirum lenire posset schismaticæ gentis implacabilitatem. Profecto bonum uicinię testimonium electionis atq; suffragij popularis uice esse potuerit, maxime ut nunc habet temporis ratio. Quid pluribus opus? Si hac in re agatur, quemadmodum olim, quum de sacerdotio ecclesiastico ab omnibus q̃ optime sentiretur, non uideo, cur partes dissentire malint, q̃ consentientibus animis studijsq; communem Religionem prouchere. In ipsa re nihil lepræ est, sed in abusu rei. Absint somnia quorundam, absit superstitio, absit neglegentia ac leuitas,

tas, abſit fauor, abſit amor habendi, & erit, quod amplectamur cleri ordinem. Nec dignum eſt ut certet de ſtolari pexaq; toga, & coronula tonſi uerticis. Negari certe nequit magis decere presbyteros eum cultum, quem hactenus reuerenter geſtarunt, q̃ ſcurrile iſtud geſtamen noſtræ tempeſtatis. Barbatos ac aptiſſimis calceis ad aras ſtare decorum eſt, ſæculo iſto iudice, at coronula tonſa & terete pileolo, ἀσχήματον. Expendent opinor, quid cui præferendum, & quanta ſit neceſſitas eccleſiaſticæ ordinationis. Videmus hodie his in prouincijs Germaniæ, Sacerdotes rite ordinatos mire deſyderari, adeo ut citius reperias, qui Carnifices, qui Leno-

nes, qui Incendiarij, qui publici raptores, qui delatores, q̃ qui sacerdotes uelint fieri. Ingenui adolescẽtes, & ad hoc officium aptissimi procul refugiunt a sacris ordinibus, atque hos ceu mortem ipsam horrent. Interim reperiuntur inertes quidam ac rudes rerum sacrarum, quibus nihil insuper præter pretium dulce est, illos allectos ordinant. Quum uero tales ad nullum honestius uitę institutum idonei sunt, mirum sit, si bonos sacerdotes præstabunt. Sic itaque procedente tempore regetur Ecclesia ab asinis, & prædicabunt imperitissimi misero populo, quod nunquam didicerunt ipsi. Adolescentes optimi quique propterea abhorrent

ab in-

ab instituto illo, q̃ nolint suam libertatem sibi eripi. Deinde uerentur, ne Clericalis status occasionẽ uetitæ impudicitiæ præbeat. Postremo non possunt per conscientiam obseruationes ac constitutiones omnes tueri, ad quas sacrificij adiguntur. Homunciones contra isti quia a labore ad libidinem prodiues, & quia appetunt iners & turpe ociũ, irrumpunt in hoc uitę genus. Nemo uocauit eos, nemo misit, non examinantur, non explorant̃, ætas modo spectatur & literæ commendatoriæ, ut de fauore Magnatum nihil dicam. Atq; eo pacto fiunt ciues, qui sacerdotiõ digniſſimi erant, & alij contra fiunt Sacerdotes, qui uix suibus pascendis erant idonei.

Sal

Sal erit infatuatum, terra salsa. Nam ciues Laici doctrina pollebunt præ istis ignauissimis sacrificis, & docebunt eos, a quibus doceri ipsi debebant. Quę consideranda ob id propono, ne Ordinatio sacerdotalis p odiosos abusus posthac ullo modo uilipendi possit.

VITA. XII.

ECCLESIASTICI DILIgentius docuerunt bonam uitam, q̃ Sectæ, e quibus Lutherana tantum non dedocuit tum uitam bonam tum opera bona. Pars Zuuinglij aliquanto plus exegit a credentibus pia facta. Anabaptistæ uidentur omnium diligentissimi esse in docenda uita, si in synceritate & ueri

tate

tate fieret, quod agunt. Profecto uel horum lucri faciendorum gratia, si non alioqui summa lex DEI Opt. Max. ad id q̃ uehementissime urgeret, omni cura ac labore insudandum est ecclesiasticis, ne quid frequentius, fidelius, sæuerius inculcent credentibus, q̃ Christianam conuersationem et bona Opera. Erunt tandem nobiscum homodoxi Lutherani, ubi scilicet satis ematuruerit dogma falsæ libertatis. Retinctores hac una duntaxat parte sapiunt, tenentes doctrinã Ecclesiæ catholicæ. Heluetij sine magno negocio inuictissimæ sententiæ subscribent, et illud uniuersi simul perpendent (o utinam) Nempe tum demum optime cum Ecclesia agi, quum

optime

optime conuersentur eius filij & filiæ. In hunc finem, mihi crede, omnia desinũt, quæcunq; docet, quęcunq; facit Ecclesia, quando quidem neq; in uerbo neq; in ceremonia regnum DEI est, sed in uirtute fidei & uitæ.

IEIVNIVM.

XIII.

ECCLESIAE CVM PARtibus conuenit de Ieiunio, tametsi ægre. Nam apud has non optime audit inediæ uox. Verum de tempore huius nondum conuenit. Partes asseuerant omne tempus esse Ieiunij tempus. Idem non inficiatur Ecclesia. Sed sub huius uerbi lenocinio latet periculum. Imo iam apparet, quando pro omni nullum

lum tempus leiunij est. Is est effectus mutati moris. Ea est sapientia nostra, qua ꝑiudicabamus priorum constitutis. Quur igitur, re expensa, nō redeūt ad id q̄d fuisse optimū iā iā eluceſcit? Q̄m uero Tessaracoste siue Quadrageſima authoratæ cōsuetudinis est, q̄ certo de Traditione apostolica manauit, & plurimum prodest mortificandæ carni tot dierum abstinentia, Christiane fecerint partes, si eam unanimes restituant. Impetret hoc Politia, si nō religio, si q̄dē nō feret diu abliguritionē immanē, nō neceſſariā, & sunt multi qui saturi licētiæ Euangelicæ, abstinentiā sero probare cœperunt. Si pudor obstat, cogitēt, pudore q̄ cōcordia cedere ꝑstabilius esse.

Imo

Imo nullus pudori locus est, ubi de causa DEI agitur. Consentiant item in ieiunia per singulas hebdomadas sparsa. Nam amentiæ sit, sesquimensem modo ieiunijs aridos esse uelle, reliquos uero totos crapulare, id quod nobis nũquam plane licet. Sunt certi dies inediæ dicati, quos omnes in memoria habemus, si in uentre haberemus. Hos ob tranquillitatẽ stabiliendam uolentes obseruemus, recordantes, non satis ieiunare posse spõsam ablato sponso. Porro æquitatis contra fuerit, ut primates ecclesiastici remittant aliqd de sæuera ista obligatione atque obstrictione conscientiarum propter cibũ. Ne statim posthac ad lanienam trahatur, qui uel inuitus col-

tus collapsæ ualetudini esu promiscuo medetur. Meminerint Christianos non esse Agarenos, nec omnibus opipare pisculentas splendere mensas cõtingere. Laudo publicitus indictam a carne abstinentiam ob multa commoda: ualde tamen cauendum, ne superstitiosorum ludæorum similes efficiamur, & ne innitamur operi. Tolle fiduciam ieiunij, & heremiticæ mensæ opus firmum maneat. Laudo si quis ipse sibi amplius indicat, q̃ indixit Ecclesia, quo magis cicuret Adam. Quo minus improbandi sunt prisci Fratres, qui prorsus carni uinoq; corpus suum subduxerunt. Cum primis uero stata ieiunia agamus unanimiter, & ijdẽ omni

E tempo

tempore moderate uictitemus, acꝫ uitijs ſoliciti ieiunemus. Cæterum de citationibus, quas ſectæ miſerabiles aduerſus hanc obſeruationē intruditis, ſecuri ſumus. Necꝫ enim uel tantulum explicaueritis. Scripturæ inſtrumento propugnantur magis eccleſiaſticæ traditiones tales: ad ædificationem corporis Chriſti non iniuria ſuperadditę: q̄ oppugnantur. Idcirco fauete paci, & qui eundem cum Eccleſia CHRISTVM creditis, eiuſdem cum eadem ueſtigia ſequimini.

ORATIO.

XIIII.

Quo

QVO SEGNIVS DE Oratione in Gratiam re deant cum Ecclesia partes, facit intercessio diuorũ. Alioqui cõuenit inter eos, orandum esse, licet eæ, dum sanare conabantur orationem, totam fere occiderunt. Certe exulat magna ex parte a populo nouæ libertatis oratio, & eo succreuit fastidium huius, ut hypocriticum sit, prolixius orare. Sed ingredior querelas meas non in loco. Quid uero consilij dabitur, ut non prorsus sublata intercessiõe, amicitia inter nos sancta fiat? Ecclesiastici ponant modum dogmati suo, & non faciant articulum Symboli, ex pia persuasione. Partes non uocifferentur impium, quod est proba-

bile, nec obturbent cupientibus
suis precibus intercessionem cœli
ciuium accedere. Æqua ni fallor
hæc conditio est, quam si utrique
accipiant, acq; ea non refugiant,
pax est. Citationes ab utriseq; gna
uiter contortę, uentis committan
tur, sit ἀμνησία inducta, non in
ædem Telluris Rom. sed in Ec-
clesiam CHRISTI Opt. Max. Prę-
terea communi consensu damne-
tur barbara superstitio magicarũ
precum, atq; consecrationũ pro-
phanarum. Tollantur oratiun-
culæ, quas somniarunt ad colum
uespertinum anus, aut delyri mo
nici, nam talibus plus creditur,
atq; Euangelio, & quarum effica
cia stultuli heu nimium sibi polli-
centur. Nihil eximij promittatur

semper

ſemper orantibus, & nunquam chriſtiane uiuentibus. Valeat eadem ſubinde repetita precatio, ut pote quæ ſit inſtar obſecrationis ex omni affectu urgentis atq; inſtantis, eiiciatur tantum oſcitãtia, properatio, oſtẽtatio, nauſea, opinio ſanctitatis. Confido in huiuſmodi utroſque facile aſſenſuros. Agnoſcant interim Sectæ, quantum incommodarit rebus ſacris ſua iſta tartarea furia, cuius obtentu bona pars piiſſimarum orationum ab animis, adeoq; a memoria Chriſtianorum pulſa eſt. Ferre tales poterat Dominica precatio, ferre poterant & Dauidicæ precationes, at iſtis noſtris nihil placuit, niſi aut ſuum, aut ſui prorſus ſimile. Quod mihi ſcomma

interim condonabunt.

STIPIS.

XV.

CONSENTITVR DE Stipe publica. Ecclesia hactenus uario stipēdiorꝝ genere iuuit egenos suos, cu iusmodi si exaugeret magis q̄ diminueret, nō uideo cur abroganda ea sint. Pars Lutheri cistam posuit, & suos habet loculos uulgo infames, ingenti iactantia, magis q̄ fruge. Nolo hic commemorare, q̄ non euangelice res agatur. Quo magis sibi in hoc displicere debebat Secta, & se uniuersitatis iudicio submittere. Cistam igitur aut de suo impleat, aut e medio auferat, & subueniat pauperibus meliore modo, Scripturæ Luthe

ranis

ranis citatæ ciſtam nouam nõ tu-
ebuntur. Catholici ſic ſeſe effun-
dant in pauperes, ut pudeſiant ci-
ſtarij, atq; ita utroq; modo bene-
ficet pauperibus. Ciſta ſponte ſua
intercidet, ablatis alienis, Nam ne
mo fere e grege libertatis uel qua
drantem inijcit, niſi quod Mam-
monarij e bonis male partis ali-
quando largiri uidentur. Quare
conſultum foret, ut ijſdem ratio-
nibus ab utriſq; publica largitio,
& ea diues, diſpergeretur in car-
nem noſtram, pauperes. Prçterea
ut ptochodochia una cũ xenodo
chijs reformarentur, nempe ut ijs
ſeruirent, a quibus nomen habẽt.
Maiores non præuiderunt, tam
male diſſipatum iri, quod illi be-
ne locarunt. O primates, o Theo

logi expergiſcimini ad cauſſam pauperum. Nam niſi illis proſpiciatur, DEVM tot ceremonijs frustra coluerimus. Creſcant tãdem ſtipendia, atq; præbendæ pauperum, poſteaquam ad ſupremum excreuerunt ſacerdotales monaſticiq; prouentus, quibus etiam adijcitur, quod pauperum erat, ne quid ij habeant, et illis ne quid deſit. Gehenna uos certa manet præſides eccleſiæ, niſi hic uigilaueritis, pauperum memores. Porro de priuatis Eleemoſynis hic non loquor. Eas cuiq; Chriſtianorum curæ erit ne uel petenti denegęt, uel egenti ſubtrahat.

CANTVS.

XVI.

Non

NON LONGE DISSI-dent in sacra canẽdi con-suetudine. Id solum est eis controuersum, qua lingua ca-ni debeat, Catholici latina, partes germanica delectantur, sed eæ sa-tietate propemodũ languescunt, quando placere desint, quod no-uum esse desint. Existimo autem il lud multum adiumenti ad cõcor diam allaturum, si iterum posita pertinacia utrics aliquid de suo concedant. Catholici donent, ut ea quæ latine canuntur, leguntur ac aguntur, nõ raro plebi per do-ctum sacerdotem e suggesto ger-manice exponantur, id quod nõ-nullis ante hanc quoq; tempesta-tem familiare fuisse audio. Insu-per, ut plebes interdum nonnihil

sua lingua occinere permittatur, maxime Symbolum, idq; ex ueteri more, præter eas Odas quas sibi solennia per annum uẽdicant. Tale multũ frugis Religioni nostræ adtulerit. Partes contra rederant ad latinam consuetudinem, ipso catholico cantu cũ tota universitate contentæ. Expertę omino illæ sunt, facilem esse mutationem recepti, at suppositionẽ melioris difficillimam. Quanq̃ uero optandum est, ut Ecclesia purgatissimum cantũ habeat, non paulo tamen satius esse arbitror, præsentem tueri, si aliter fieri nequeat, q̃ schismaticum recipere. Equidem nihil est quod perinde offendat partes ac cãtati diui. Æquum itaq; fuerit, ut si quid intolerabilius

lius inexcusatiusq; hac in re deprehenderint Ecclesiæ iudices, id ob pacem sarciendam, & ob amorē syncerioris Christianismi resecēt. Iudicium omne penes partes non sit, alioqui nihil non resecaretur, quod laudem sanctorum DEI saperet.

HORAE.

XVII.

SI VERVM EST, quod censuit uetustiss. poeta, nēpe moribus antiquis rem Romanam stare: Si laudatur sententia Lyrici, eum esse uirum bonum, qui cōsulta patrum, qui leges iuraq; seruet: quæ rogo dementia est, nos Antiquitatem nihili facere, quum literis sacris etiam liqueat, antiquas semitas præ

nouis

nouis disquirendas esse. Omnino res Christiana, sancta antiquitate stat, nec ruinosa rectius reparabitur, q̃ si ad originem suam censeatur, ita enim cum Tertulliano loqui libet. Proinde traditio uel nõ scripta de obseruãdis septem horis, obseruatione tamen defensa & confirmata consuetudine, non usq; adeo displicere partibus debebat, siquidem in eum finem pleraq; aguntur, qui pijssimo cuiq; fauorabilis est, uidelicet laudis DEI nostri. Nec potest non esse optimum, media de nocte consurgere ad confitẽdum domino, aut certe sub diluculum. Tot horæ dantur nocturno somno, diurnæ quieti, manuarijs operis, agro, quæstui, itineri, libris, pulpitis,

tis, rumoribus, colloquijs, calumnijs, consultationibus, imaginationibus, bellis, litibus, deambulationibus, morbis, iurgijs, ludis, iugis, culinis, facetijs, poculis, amoribus, pompis, lachrymis, gaudijs, mœroribus, mũditijs, equis, canibus, auibus, hortis, ripis, nemoribus, lauacris, cõptibus, myrothecijs, choreis, palæstris (non mihi tẽpero quin hic exclamem: O curas hominum, o quantũ est in rebus inane) & horulæ inuentæ non sunt, quas deo tuo impartias? Illud modo curetur, ut preces ac laudes istæ horariæ decentius magisq; pie agitentur, quàm eas hactenus sucuerunt frigidissimi templarij agitare. Absit bonæ rei turbatrix festinatio, absit tædi

um

um, abſit ſingularis iuſtitiæ opinio. Adſit uero alacritas, adſit cũ ore cor pſallentium, canatur ac legatur articulatim, explanate, & reuerẽdo geſtu ad ædificationem orantis interea Laici. Non neceſſe habeo pacificandi modum addere Muſici organi cauſſa. Amãt Lutherani, minime Lacones, pręalijs Siphones, adeo, ut iſthuc primum fuerit, quod abiectum recepere. Melos uarium eccleſiæ concedi poterit, ſi DEO magis q̃ nobis in hoc deſeruiatur, Alioquiſi uoluptas aurium quęritur, magis conueniebat, ut in orcheſtro, q̃ in templo moles Theatralis muſæ iſtius penderet.

FVNVS.

XVIII.

Hoc

HOC VNCO PARTES q̃ ualidissime a consensu detrahuntur. Quare si pax amabilis componẽda est, necessum erit, ut catholici circumcidant funeralia. Vix est molestior purulentia in toto statu, atq; hęc. Nihil ęque deturpauit totum cleri ordinẽ, inq; implacabilius uulgi odium adduxit, atq; id uitij. Sed quid non facit auri fames? Si igitur adhibeant negocio non limam, sed falcem, forte mitigaretur quorundam ira fortasse iustior, q̃ religioni conducit. Memineri nt temporibus patrum non ita quæstuosa fuisse Christianorum cadauera, psallendi uero, orandi atq; consolandi morem, si quis diem suum obijsset, fuisse. Quin igi-

tur

tur Maiorum ueſtigijs incedant, qui maiores ſæpe non iniuria in ore habent, nõ addentes malum, ſi nolint, aut non poſſint bonum addere. Neq; errat neque peccat Eccleſia pro filijs ſuis orans, ſiue in corpore ſiue extra corpus illi ſint. Præterea non Põtificium inuentum eſt, exorare pro mortuis, ſicuti non nouum eſt, oblationes et eleemoſynas pro ijſdem largiri. Reuoluant partes Apoſtolicorum uirorũ Scripta, qui & ipſi Spiritum DEI habuiſſe putandi ſunt. Circũſpiciant pauliſper curſum ſuæ fabulæ, & ipſi ſibi ſobrietatem imperent. Si corrigantur acceſſiunculæ, nulla cauſſa remanſerit, cur concordiam detrectent. Vtinam uero ſic uiuat inter Chriſtianos,

ſtianos, ut precatione dormientibus nō ſit opus. Certe qui impœnitentes hinc decedunt, ſiſi futura p̄catione, operibuſq; alienis, non tuto decedūt, uel Hieronymo teſte. Cæterum uetus contentio eſt de purgatorio igne. At mea ſententia melius ageretur cum rebus Eccleſiæ, ſi uitam hanc ocyſſ. ita ui ueremus, ut non ſit, cur metueremus a pœna. Qui potiſſ. de hoc diſputant, fere ita uiuūt, ut citius in Gehēnam q̄ Purgatorium ſint inuolaturi, ab utroq; futuri tuti, ſi cum Scriptura, & priſcis patribus pure ſentientes, CHRISTVM uiæ uitæq; ducem recta ſequerentur. Erat igitur cautius diſputandum de eo, quod DEVS in uniuerſum ſcire nos noluit. Nam ut ma

xime sint loci purgabiles, sic eñ loquitur Bernardus, qui excipiant corpore nudatas animas, nõ tamen decebat sapientes ac graues uiros, tam certo omnia definire & metiri, quod Scripturæ DEI non satis expresserunt, nec antiquorum traditio exposuit. Neq; enim nitẽdum est allegorijs Ambrosij et Gregorij, prẽsertim cum regula Theologiæ habeat, allegoriam non probare. Pie creditur locus esse in quem deferãtur, pro quorum peccatis exorat Ecclesia, sed ubi, qualis, quibus tormentis instructus, quo fine circumscriptus, nũquam fuit cognitum, nec nos ante sciemus, q̃ illuc deueneri mus. Proinde ut in unum coalescant Christianorum animi, tem-

perent

perent sibi Theologi ab immodi
ca asseueratione & qualitatū de-
scriptione. Lutherani contra tem
perent sibi ab audaci & pertinaci
negatione, ac conuiciorum dirita
te. Recolat Lutherus uerba sua:
Ego credo Purgatorium esse, &
consulo suadeoq; credēdum, sed
neminem uolo cogi. Hæc ille.
Græci forsan non usq; adeo refra
gati nostris fuissent, sed illæ par-
probabiles circumstantiæ quo-
rundam scholasticorum abaliena
runt eos. Summa, qui simplici
credulitate huius rei contentus,
nec altiora, nec inferiora se rima-
tur, sed obedit uoci domini cor-
de & opere, is omnium optime
fecerit.

DIES.

XIX.

PARS LVTHERI ACCIpit cauſſam, ob quam operæpretium ſit, ferias interponi. Cæteræ partes ualde oderunt ferias, non tam quod dicuntur conſtitutionis eſſe humanæ, q̃ quod fomenta ſunt plurimorum flagitiorum. Eccleſiaſtici in ocia iſta propenſiores, plus æquo exigunt, nempe, ut quarta ferè pars anni feriatiunculis conteratur, non inexperti, quo id Eccleſiæ dedecore, & animarum diſpendio. Eapropter ut fiat æquabilitas, demant ꝯ aliquid de multitudine Feſtorum, illi uero nonnihil ad paucitatem addant. Cogitent Catholici, non ueteris ſęculi eſſe,

li esse, tot feriis tẽpus terere. Adi-
matur grauiss. obligatio consci-
entiæ & fiducia. Substituatur lex
charitatis, & necessitati pauperũ
nostrorum non obsistatur, ne ui-
deamur Iudaizẽ. Neue perpe-
tuo nobis obiiciatur ex Augusti-
no, Iudæorum conditionem no-
stra tolerabiliorem esse. Porro
quæcunq; restituentur, sic consu-
mere plebes doceatur, ut bonæ
menti harũ occasione aliquid ad-
crescat, nihil decrescat. Et in illis
duplicentur sacræ conciones. In il
lis uulgent patria lingua, ca q̃ Ec-
desia ppl'o non intellecta cecinit,
ut diuis dicti dies, gloriam DEO,
& hominibus Pietatis segetem af-
ferant. Hos dies Sectæ ultro reci-
piant, ne bene sopita discordia,

ob mediũ tale reſuſcitata exaſpe-
retur. Tantum obuiam eatur ſala
ciſſ. choreis, ſcurrilibus ludis, tur-
piſſimis ingurgitationibus, inſa-
niſſ. clamoribus, ac tumultibus,
publicis ſcortationibus &c. ne ec
cleſiaſticam legem ſeruantes, diui
nam uiolemus. Id quod num de-
cus Eccleſiæ ſit, nũ uoluntas DEI,
num honor ſanctorum, num ædi
ficatio populi, alij iudicauerint.
Hebdomadam magnã, ſic enim
uocat Chryſoſto. quam nos cha-
ram, propter multas commodita
tes Sectis quoq; obſeruandã du-
co. Semper ſatius eſt precari, q̃ nu
gari: & meditari, q̃ ociari. Ad hęc
malim theatrica illa de domino,
quæ in templis (utinam ſine ſu-
perſtitione) aguntur, q̃ comœdi-

as cir-

as circulatorias, ac Saturnales lu-
dos in libertate Decembri.

IMAGINES.

XX.

RELIGIONI HABEN-
dam ędem, in qua quo-
tidie sacra faciant mini-
stri, ne partes quidē negauerint.
Atqui eæ templa sua temere de-
formarunt, ut balnearia hypocau
sta citius uideri queant, q̄ templa.
Catholici contra ita decorant,
quasi summa sit necessitas, atq; ita
neutra pars modo seruando stu-
det. Ista deformis ac uasta inani-
tas alijs scandalum offert, alijs de
lectationem aufert, multis etiam
ciet bilem, mouet autoribus com
meritam inuidiam, inter omnes ri

xam ſerit. Ille uero longe ſumptuoſiſſ. ornatus præter ſcandala, trahit poſt ſeſe pauperum gemitus, & nonnunquam famelicis nudiſque lachrymas excutit, ut ſine peccato eſſe uix poſſit, maxime ſi neglectis egenis, id ſolum agitetur, ut omnia niteant gemmea, aurea, holoſerica, marmorea. Si tale probant ueteres, prçcipue Chryſoſt. Lactan. et Bernard. non renitor, ut non merum aurum ipſi etiam parietes ſint. Ponderetur ſerio, num tale deceat Religionem noſtram, cuius ſumma lex eſt, beneficæ dilectionis, quç CHRISTO IESV, legis autori, potior eſt, atque delubrum ex mero obryzo topaſioue, ſolidis Saphyris ac ebore conſtructum. Admonent idē Sectæ,

ctæ, sed prætexentes dilectionis legem, factis propalam contradicunt legi, & uociferantes: In templo quid facit aurum? Sibi usurpant aurum, pauperibus cum sua dilectionis lege uix relicta scoria. Sed, ut ad institutum reuertar, sic in Imaginum negocio agendum est, ut Heluetij Feliciani placẽtur magis q̃ iritentur. Statuatur itaq; ferendas quidem esse Imagines, sed non adorandas, quum ob id olim neq; sculptę neq; pictę sint, sed ob alias causas. Vtilitatẽ certe aliquam præbent istæ, tam pueris q̃ adultis idiotis, si recte utentium accedat pietas. Quidã a quibus origo est abolẽdi Imagines, uendunt nobis interim se cum suis Nonnis satis religiose scilicet pi

ctos. Ad hæc celebrantur nunc picturis Russij Basilij, Sultani Soleymanni, Vuascones Schytę, impij milites, gladiatores, ridiculi Moriones, Biberij, propudiosæ Laides, mammosæ Spatalę, effœminatæ choreæ, Nasatorum cordax, cupediariæ nugæ, commessationes in uiridi, lasciui cõplexus, coronata conuiuia, Cytharœdorum delitiæ, amœnæ uenationes, cruentæ strages, inuisa monstra, irrisi antilutherani, uictores hæretici. Huiusmodi dignantur nunc parietibus ac postibus suis Christiani, ut quæ pro diuorum Imaginibus suspiciãt. Sed hoc parergon. Quid multis? Pax fiet, si nos fastum templarem effigiesq; moderemur, et si partes restituant sepo-

si

positas tabulas, non luxuriantes, mundaniq; cultus formam præbentes, sed quæ tardis ac obliuiosis ad subleuandam memoriam prosint, & quę corda simplicium ad pietatis studia per occasionem uellicent. De thesauris Ecclesiarum nemo forte rixabitur, quandoquidē iam inde ab initio propagatę religionis fuisse leguntur. Publicus eorum usus est in extrema necessitate, & ubi cessant priuata subsidia, inopiæ tenuium fratrum atq; sororum debita, de quibus supra.

OBSERVATIVNCVLAE RELIQVAE.

XXI.

Consi

CONFIDO PARTES non ita odisse unitatem Religionis, ut eam propter leuia quædam, & quæ nemi nem neq; grauent neq; lædant, non sartam tectam uelint. Contra ecclesiasticos non ita odisse errantes existimo, ut horum reconciliandorum gratia, de obseruationibus istis quidpiam non remittant. Meminerint ij Præcepta DEI non esse, quare iniquum uideri, si huiusmodi Christianorum humeris imposita, tam pertinaciter tueantur ad conscientiæ usq; formidabile periculũ. Contra cogitent partes, tametsi præcepta DEI non sint, attamen non consequi, ut tam barbaris uociferationibus in eos ritus tanquam

antichri

antichristianos debacchẽtur. Imo uero probari merebantur, quatenus cõducant inflammandæ pietati, & quatenus per exteriora illa ad interiora ꝓficiamus. Equidem mihi in ceremonijs nihil quęritur, præterquam Cõcordiæ materia, & Mysteriorum fructus. Sanctimoniæ existimationẽ, atq; salutis spem alijs in rebus constituimus Orthodoxi. Nec adeo ridendas uulgò ceremoniolas arbitror, si interdum publicitus harũ arcana a sacerdotibus explicarentur. Aspersione aquæ nihil nunc est reiectius, uaporatione thurea nihil contemptius, consecratione creaturarum nihil inuisius, habẽt tamen horum singula, a cuius explanatione tam non abhorreas,

q̃ abhorres a cõſpectu. Stabit uero penes capita, utrum iſtiuſmodi abrogata uelint, an rurſus ſubrogata. Quapropter utrum iudicauerint, noſtrum erit obtemperare potius, q̃ tumultu atq; contumacia reluctari. Nam ſemper ante oculos conſtituendum eſt, ſanctiſſ. concordię ſimulachrum, non res eæ, de quibus contenditur. Conſyderandumeſt, q̃ tetrũ ſit ſchiſma, contra q̃ bonum, & q̃ iucundum ſit, habitare fratres in unum. Impium nõ eſt, iſta obſeruare, ſed longe impiiſſ. eſt, propter iſta Eccleſiæ communionem χίζειν. Si rebus humanis omittendo, q̃ obſeruando rectius conſulitur, ecquid ita nihil emendatius meliusq; nunc eſt in

toto

toto Reipub. ſtatu, in ſacris, in prophanis, quando etiam omittuntur publicę Letanię, ſolennes ſupplicationes, proceſſiones, ſtationes, peruigilium noctis paſchalis, ſignatio crucis, exiſtimatio cinerum ſanctorum Dei, cuiuſmodi ſemper & habuit & obſeruauit Eccleſia, quemadmodū priſci ſcriptores teſtantur? Execrandas iſtas ſuperſtitiones Reliquiarū, quas perditiſſ. nepotes a quæſtu ueriſſime appellati, indigniores q̄ qui uel Sacerdotes uel Monachi dici debeant, ad Eccleſię lūdibrium exitiumq; inuexerunt, neſciuit tantum mō Antiquitas. Nec uidit abuſus ridiculos, in quibus nō exigua pars pietatis uulgi noſtratis hærebat hactenus.

Da

Da homines pientiores ac corre-
ctiores a neglectu istorum pro-
stagmatum ecclesię catholicę, &
iudicari debent in utilia. Ante ne-
glectum, nemo ibit inficias, meli-
us agebatur cum reb. Christiani
populi. Dic sodes, quanto meli-
us habet res, posteaq̃ puerperæ
sine lege omnia faciunt, atq; adeo
naturam ipsam impiãt? Quid ac-
cessit morꝝ bonitati, posteaq̃ sine
ordine ueteri sepelit? Quid accre
uit utilius, posteaq̃ Chorus, illu-
strior ecclesię portio, colobia li-
nea exuit, malens chlamydatus
ac sæculi amicus conspici? Ordo
turbatus est in baptizãdo, intro-
ducendo, consistendo, inq; tota
fere cultura, quantillo autem pro
biores sumus? Religio non pro-
hibet,

hibet, sed honestas publica, fu-
stisq; metus, alioqui uideas, qua-
les filios nouæ Saræ libertas eni-
xa sit. Inerant uitia, & ea multa,
hæc igitur amputari oportuit ma
gis, q̃ totum tolli. Fidebat hisce
uulgus, putabat hæc necessario
requiri, credebat se iustiorem ob
hæc, credebat hæc efficere, ut pec
catis uenia sit, anteferebat hęc pre
ceptis decalogi, hęc modo specta
bat, in hæc solum procumbebat,
nullo respectu probæ uitæ habi-
to. Hanc purulentiam e re bona
expurgatam esse cõueniebat, idq;
crebris concionibus & increpati-
onibus. Ais, temporis erat perdi-
tio, Imo melius cõsumebatur tem
pus in religiosis istis occupatio-
nibus, q̃ in uanitatibus sæculi hu-

ius, quarum curæ nunc plus ni-
mio dediti sunt noui Sarraceni.
Ais, Carent ista prostagmata scri
pturæ patrocinio. Imo citius scri-
pturas inuenient, q̃ uanitatis sęcu
laris studia. Ad hæc tun' scriptu-
ra omnia defensitabis, quæcunq;
Sectæ in templis suis obseruanda
his annis receperunt, aut ab Eccle
sia mutuatæ sunt? Fallere, si id co-
neris. Euangelio conuenit, quid?
quid cum Euangelio nõ pugnat,
Iam uero qui pugnẽt cum Euan-
gelio isti Ecclesię ritus, si recindan
tur innata mala, & fiant ea inten-
tione, q̃ olim instituti sunt? Illud
multo uerisſ. est, ceremonias a q̃-
buslibet prælatis ad nimium ex-
augeri, quom præstaret, ueteres
Ceremonias, quas consuetudo fi-

dei

dei obseruatrix roborauit,& quibus sua est utilitas,purgare, inq; rectum usum reparare, q̄ nouas addere ad onerandum populum magis, q̄ honorandum CHRISTVM. Ostendi qua redire in gratiam possint cum Ecclesia schismata nostri temporis, ut similitudine(quæ amoris conciliatrix efficacissima est)obtenta, & ijs quæ in Ecclesia uetustate sublapsa sunt, in melius reparatis,mutua cõcordia ac indissolubilis pax fiat, in gloriam patris nostri, qui in cœlis est, DEVS pacis & non confusionis. Concordiæ in præsentiarum me seruire fateor, Si uero id peccare est,fateor id quoq;.

SCHOLA.

XXII.

NEMO SCHOLAS IM-
probat, nisi anabaptisti-
cum fœdus, retinens ni-
mirum mordicus, quicquid Lu-
theranorũ calor in principio in-
uexit. Sophi scholas probãt qui-
dem, sed suæ ætatis, arcentes una
cum Linguis Musas. Lutheri so-
cietas sibi habet scholas, sibi fouet
doctos, non unitati Ecclesiæ. Et
huius occasione scholaris disciplī
na magna ex parte corruit, præ-
terq; quod literæ iterum in con-
temptum abierunt, & illud mo-
do in precio est, quod utile est.
Pax erit, si omnes consentiant, ut
Scholæ non modo sint, sed & do
ctæ Scholæ, & quæ cum rectiori
bus literis mores tã Christianos
q̃ Politicos doceant, quales nimi

rum

rum esse cœperant ante diuisionem Ecclesiæ.

VISITATIO. XXIII.

D EMOLLIET POtiss. partes, ubi Ecclesia uigilantius suum fecerit officium. Q̃z magnopere autem postulet uisitationem Ministrorum incuria atq; improbata uita, uix quisquam dixerit. Autoritatem negocio adderet, si ipsi Episcopi dignarentur id laboris subire, satisfacturi in hoc, & suo muneri & nomini. Sin ipsi inspicere Diœceses suas nollent (id quod sine peccato non supersederint) proximum fuerit, ut hoc per interrimos ac peritissimos uiros q̃

diligentissime procurent. Magna pars purgandæ, & exornādæ Ecclesiæ est, si œconomi eius fidi officio suo nunquam desint, perpetuo soliciti, quomodo olim reddant rationem uillicationis istius, nihil nescienti patrifamilias.

MONASTERIVM. XXIIII.

VIX IPSA PYTHO Sectis persuaserit, siue ut tolerēt posthac Monasteria, siue ut probent. Quanquā Coloni iampridem experti sunt Ranarum exēplum, ita ut bona horum pars trabem pristinam, q̄ ciconiam malit, & cum Asino tegulariū pristinum q̄ coriariū, Si uoto rursus adesse uellent implo

rati

rati Superi. Quid alijs uideatur ignoro, mihi certe nemo unquã perſuadebit, Monaſticam uitam tam ſatanicã, tam tartaream, tam antichriſtianam, breuiter ſeptiès execratam eſſe, quemadmodum uni & alteri prouinciæ ab eo homine perſuaſum eſt, qui laxius, q̃ ſtrictius uiuere maluit. Stupeſcis ad hanc uocem. At tu poſita perſuaſione & attracta diu Monaſteriorum turpitudine, omnia dñudica, confer, examina, nec dubitabo, quin miteſcas. Origo ac cauſa priſcæ Monaſtices ſyncere expenſa te leniet. Et niſi plane oderis ueterem ſanctimoniam, non poterit non commouere animum tuum tot milium uere piorum hominum conſenſus, qui a primis

usq; Ecclesiæ sæculis, Monasti-
cen uel ipsi excoluerũt, uel dignis
elogijs, et præconijs ornauerunt.
Quapropter si in cæteris grauio-
ribus collata sunt suffragia, haud
quaquam committendum est, ut
hic cessetur. Eam discordię mace-
riam, id instertitium solo æquate
Catholici, ut iunctis dextris, de
concordia gaudenti Ecclesiæ ex-
ultim gratulemur. Si itaq; multi-
tudo Monasteriorum utriusq; se
xus minuatur, et relicta paucitas,
a Mundo auulsa, DEO noctes at-
que dies rite seruiat, fiatq; nobis
operum bonorum exemplar, &
euangelicæ innocentisq; uitę for-
ma, non usq; adeo reclamauerint
partes, maxime si ea paucitas ne-
mini oneri sit, sed potius hinc nõ-

nihil

nihil subleuaminis sentiat popularis inopia. Verum non deerit, si concordia utrique parti placeat, quod ea de re inter sese communicent. De uestitu, hoc est, de Asini umbra, nemo sanus rixabitur. Norunt Monachi suam neq; lustitiam neq; salutem in lana, aut caluicio constitui. Quod si quidã tale putent, illos ride, non sapientes. Iam si cucullus tã male habet proceres, cur ipsi cum ceruice sua dignantur? Videmus enim magnos etiã Satrapas cucullatos magnifice incedere, & ambire cucullum uidemus cerdones & aurigas. Attamen pacis studio nõnulla eius generis remittentur, atque mutabuntur. De monachis infra.

XXV.

IN DOGMATE DE Sæculari potestate consensus est, nisi quod Retinctores eam Christianam esse pernegant, ferunt tamen hactenus. S. Polycarpus, si nesciremus, inter carnificum manus docet, & præter hunc Basilius Mag. de instit. Monach. quatenus potestati terrenæ obediendum sit. Verum spes est, Imper. Romanum, quando in Ecclesiam acceptum est, eo impietatis non lapsurum, ut Idololatrica aut antichristiana Christianis imperet. Id quod etsi faceret, non obediret Ecclesia, utpote cuius maior authoritas est, ac cœlo uicinior. Etenim si paganæ religioni

gioni ſummum Imperium ceſſit, nec Sacris dæmoniorum ſeruire dubitauit, quemadmodum ſcribunt Hiſtoriographi, quur non magis id mutata Religione fiat? De plectendis uero hæreticis controuerſia adhuc durat. Audienda eſt Eccleſia, quid ea poſt ſcripturam olim in ſuis doctoribus ſenſerit, & quid nunc ſentiat, in qua re maximopere cauendum eſt, ne eius iudicia ſecum pugnare uideantur. Veritas pendebit ab interprete. Grauamina Reipublicæ plurima mitigabunt æqui domini, & ita moderabuntur omnia, ne quis poſthac iure de his queri poſſit. Inter tot alia uix aliud intolerabilius eſt, q̃ odioſa illa Monetæ publicæ inconſtantia. Hoc malo pau

lo pauperes potissimum premun
tur, diuitibus nihil affert detri
menti ulla uicissitudo.

FLAGITIA.
XXVI.

DOMINANTVR REBVS flagitia q̃dam, adeo con spicua, ut ea cum Eccle sia partes quoq; detestentur. Ve runtamen non itur obuiã tot tan tisq; maculis, adeoque letalibus Religionis nostræ uulneribus. Quid fœdius uel inter gentes esse possit publicis Pornoboscis, q̃ rum execrabilitas oñes ciuitates polluit? Vltra horum turpitudi nem excedit pædiconum, Cynæ dorum & Catamytorum terque quaterq; nepharia fœditas. O do

loren

lorem nostrum. Quid dedecorosius publico cõcubinatu, qui permittitur uiduis ciuibus? Quid magis infandum, tot uirginum compressione, maxime paupercularũ, Seruarum & pupillarium? Quid flagitiosius adulterio impunito, quod nunc iactant quidam inter pocula ad citandum risum? Quid pernitiosius usura, Monopolio, Propolioq;, & illis tamen locus est inter Christianissimos? Quando maior auaritiæ patuit sinus? Quid intolerabilius pompis fastuosissimis & cultibus superbissimis, qui nunc celsitudine atq; grauitate sua laborant? Quid leuius ac religione nostra indignius tot formis uersicolorum atq; sectilium uestimentorum, quæ ipsis etiam ephe

am ephebis gestare nūc decorum
est? Quid perditius dicam an dete
stabilius, tantis Christianorum
sumptibus? Squalet auro gem-
miscp & margaritis uestitus tuus
o adiuratiss. Lucifero mācipium,
& confrater, Imo caro tua a pro-
brosa nuditate posticum ęgre tue
tur. Quid insanius crapula et ebri
etate, quæ præter modum occu-
pant corda uentresque profesſo-
rum Christiani nominis? O cau-
sam maximam blasphemiæ CHRI
STI nominis apud exteros. Quid
amentius, iniquius, inhumanius
bellorum, tumultuū, fœderum,
furiarum, lanienarū, rapinarum,
litium, oppressionum, incendio-
rum, proditionū, expilationum,
excoriationum, prædationum,

frau-

fraudationum, circumuẽtionum uel mentione? Et tamen hęc exundant nunc, ut hactenus. Quid nocentius aleæ artificioso furto, cui quotidie adiiciuntur noua ludendi genera? Quid deformius militum erronum mendicitate atque ignauia? Quid grauius mercatorum licẽtiosa auctione? Quid miserius nobilium ferocia, Satraparum immisericordia, Iudicum iniustitia, Aduocatorum rapacitate, qui omnes neq; DEVM timẽt, neq; homines reuerentur? Quid execrabilius tam crebra, & in dies mire nouata maledicentia? Quid irreligiosius tam facili iuratione, tam prompta imprecatione, tam inhumana deuotione? Quid tetrius ueneficio & magia?

Quid

Quid indecentius & a Christianismo alienius diuinatione, augurio, physiognomia, genethliaca, chiromantia, necromantia, obseruatiõe magica dierum, locorum, personarum, quasi non plus satis sit, Po. Christianum gentium similem in moribus esse, nisi in curiosis artibus & credulitatibus superstitiosissimis similis quoq; sit? Non possum plura præ dolore. Heroës, uestræ animæ luent, uestra corpora dependẽt in Gehennæ flamma, si tot ac tam immanibus flagitijs, autoritate sæueritateq; uestra obuiam non ibitur. Ædictis, & diplomatis membranaceis nihil proficiẽt, nisi manum quoq;, DEI ministram, admoueritis. Officium Spiritus sancti est,

ut fiamus

ut fiamus ac simus Christiani. At per uos stat, ne simus aut fiamus propalam gẽtes. Quin illis etiam uitijs obsistite, quę ceu Sacramentorum aliquorũ initiationes, magnam scandalorum uim in Ecclesiam exundant, Imo in eam uenenum certum effundunt. Sanctiss. Baptisma excipit luxuriosa comessatio, et ea bis terq; in uno puero ingeminata. Ordinem clericalem, & Matrimonium ea ingurgitatione auspicantur, ut uix politia etiam ferat, tãtum abest, ut uel CHRISTO placeat, uel Ecclesiam iuuet, uel ipsis autoribus conducat. Præter hæc sunt dedicatoriæ crapulæ, & item Bacchanales, siue, ut rectius dicam, Lupercales

insaniæ Christianorum, a quibus in sacram Quadragesimam feliciter sane itur, posteaq̃ totum penuarium elurcatũ est. Viderint Monarchæ, quomodo eiusmodi coram Rege regũ excusent, qui ipsis gladium non frustra commisit. O utinam tollendis his incommodis redeat ad militantem Ecclesiam beatus Augustinus, ut nimirum cessante Iustitiario potestatis sæcularis gladio potentissimę linguæ suæ uiribus publicare ligionis nostræ mala inueteratis hominum usibus eximeret, quẽadmodum olim apud Cæsaream Mauritaniæ accersita e Rhetorũ scholis eloquentiæ grãditate consuetudinem lõge exitiosiss. & eandem tamen inueteratam de cordi

bus

bus pariter ac moribus Christia-
norum auulsit pepulitq;. Verba
tanti oratoris, quibus profectum
concionis suæ testificatur, hoc lo-
co tempestiue subiecero: Non tñ
egisse aliquid me putaui, quum
eos audirem acclamãtes, sed cum
flentes uiderem. Acclamationi-
bus quippe se doceri et delectari:
flecti autem lachrymis indicabãt.
Quas ubi aspexi, immanem illam
cõsuetudinem a patribus & auis,
longeq; a maioribus traditã, quæ
pectora eorum hostiliter obside-
bat, uł potius possidebat, uictam
antequam re ipsa id ostenderent
credidi. Moxq; sermone finito,
ad agendas DEO gratias corda
atq; ora conuerti. Et ecce iam fer-
me octo uel amplius anni sunt

propitio CHRISTO, ex quo illic nihil tale tentatum est.

CLERVS.

XXVII.

QVONIAM VERO NIhil omnium est, quod uehementius offendat, ac indignius animos nostrorum hominum percellat, acꝫ consentiendo deterreat, Imo a mentione etiam consensus procul abigat, q̃ uita cleri, cum primis adlaboretur, ne huius gr̃a Pax æquis conditionibus accersita, rursus aufugiat. Si propter Sectas, quæ totũ aboleri clerum potius, q̃ in melius reparari debere contendunt, nihil reformandum est, certe propter eos id fieri oportebit, q ad-

huc

huc intra Eccleſiam ſunt, haud minora ſcandala patientes. His dolet Eccleſię tāta deformatio, quare reformatam ex animo concupiſcunt. Sectis uero doleret, ſi res melius haberet, atq; habet. Nam illæ, ſi reſtauretur redintegreturq; inclinata ac labens Religio, pudefierent, & eo pacto adimeretur illis maxima concionandi materia, quam alioqui abunde præbent ad delectamentum gregis ſui, mala cleri publica. Ignoſcent mihi hoc, quod hic neceſſario commemorandum fuit. Illud tandem concedant, Nimirum ſatius eſſe repurgari ſtatum cleri, q̄ in uniuerſum deleri, qñquidem id neq; pium, neq; honeſtū, neq; utile eſſet, nec ſine concuſſione pe

 riculo-

riculosissima totius orbis fieri pos
set. Comperierunt opinor, quan
tum ueteribus noua sua præsent,
si fateri uelint, & quæ exeat e tene
bris ueritas, & quæ demum iusti
tia lampadis instar accendatur, ut
opus non sit hoc loco pluribus
immorari. Iudicium uero incipiat
Pontifex Rom. a domo sua, in
quam congestum est tot annis, ul
se inuito, plurimum fimi. Agno
scat uerbum domini IESV. Reco
lat diui Bernardi Consyderatio
nem ad Eugeniū. Suspiciat eum,
cuius uicem gerere dicitur. Intue
tur eum, cui in sede successit. Re
spiciat priores se papas patriæ pa
tres, Ecclesiæ muros, portis infe
rorum formidabiles arietes. Vol
uat animo, quid sit uocari San
ctiss.

ctiſſ. Max. Summũ, Quid ſit dici caput, petrã, patrẽ, Quid ſibi uelit uox Apoſtolicę ſedis, apoſtolicę autoritatis. Conferat pauliſper p̃terita cum p̃ntibus. Heu diſſimilia, uel ipſomet iudice. Reputet ſecum hominum omnibus in terris iudicia. Cogitet piorum gemitus, lachrymas, uota, Zelũ. Perpendat quid ſit ſcandalum, & minax illud uæ. Conſyderet quid detineat a Religione tot nationes orbis increduli, & quid retineat a reuerſione tot prouincias ſchiſmaticas. Deniq; meditetur funeſtam horam mortis ſuæ, ac requiſitionem rationis Oeconomicæ terrificam. Ad hæc obturet aures ad Gnatonica encomia, & impudenti adulatione fœtentes

Panegyricos. Quin ipse legat magis q̃ audiat, æstimans consilium Dem. Phal. Nam qui bona dicere & recta monere possunt, nihil audent præ illis, quibus occinere sedulo καλὸς πίθων, messis est. Petri, Pauli, Lini, Cleti nomẽ & exemplum in memoria eius obambulet, & Clemens Clementi placeat magis q̃ isti, de quibus chronica parum apostolica, ualde uero horrenda lectu memorant. In animo statuat, se uere pontificijs factis honestaturũ sedem, & eam fidelibus pariter & infidelibus nunc inuisam, christianis atq; heroicis gestis fauorabilem facturum, q̃ nouis annalibus de se ad posteritatem conscribendis digna sint futura. Repurgetur tota

curia

curia, incuria, faſtu, aſtu, luxu, habendi ac dominandi cupidine infamis, non ſolum in Germania. O quæ, O quanta inde exoriuntur Eccleſię ſatis calamitoſæ ſcandala? Quę inquã illi inde infligun tur uulnera? Ah primates, ne cõmittite, ut iam pluſculis ſęculis to ties tot uiri pij (ut de ſchiſmaticis innumeris nihil memorem) id fruſtra admoneant, ſeu defleant potius. An non moleſtiſſimum eſt uobis, tot libris in orbe circũferri ſcelera Ro. Curiæ? Mirum, ni moleſtiſſimo moleſtius. Atqui eam infamiam iuſta correctione opprimere poſſetis, non neſcij in Eccleſiam redundare, quicquid deſignet peccati Sentina Curia. Sed incidam orationem largius

æquo (non liberius tamen) & præter instítutum currentem. Synodo curæ erit singula uicia atq; incommoditates, mihi magna ex parte incompertas, ad calculum subducere, subductas emendare, emendatas seruare, seruatas tueri. Collegium cardinalium in se quoq; descendat, consyderans, quantum absit ab eo quod audit. Detur opera Religioni fulciendę magis, q̃ labefactandę, consulatur inclinatæ Reipub. consummatur uita in sacris studijs ac precationibus. Excogitent solicite, quæ faciant ad uerum decus Ecclesię, sint cardines domus DEI, non suę. Sint poli uerticesq; cœli, non mundi, obnixe effugiant prosonomasiam, qua dicuntur carnales

carnales & carnei, pro cardinalibus & cardineis, Retrospiciant, si Ecclesia ab initio ipsorum similes Ministros CHRISTI habuit, hoc est, ut uno uerbulo cuncta eloquar, tam Mundanos. S. Bernardo teste fuerunt pontifici assistentes, coadiutores, seniores populi, iudices orbis, quos antiquitas appellauit presbyteros ac diaconos, nunc uero cardinales. Num autem coadiutorium & presbyterion ecclesiasticum talem exigat principatū, talem strepitum, tam ualde sæcularē splendorem; taceo de opum immensarum comite immodica luxuria, uel ipsi e conscientię suæ libro dixerint. Idcirco memores sint Hieronymi, Ossij cordubensis, Claudij, Habiti, Qui-

ti, Quinati, Paſchaſij & aliorum uere Cardinalium diaconorum Eccleſię DEI, & redeant ad officium, ne apud poſteros quoq; uti nunc male audiant, & apud DEVM peius. Iam ſtatus Epiſcoporum illo degenerauit quoq;, ut niſi aliquanto melior ſeipſo reddatur, uix cum eo pacem ineant partium principes. Solicitudo omnium Eccleſiarum tranſlata eſt ad ditionũ prophanarum adminiſtrationem. Nomen, ſpecies & ceremonię eccleſiaſticę tantum ſunt, cætera mundus. Sed quid triſtes querimonię, ſi non concilio culpa reciditur? Adiungant animos illi: ſi cupiunt CHRISTO placere, Eccleſię prodeſſe, & ſaluti ſuæ conſulere: ad rerum

cœleſti-

cœlestium studia. Sit præcipua solicitudo, quomodo regant ac pascant Ecclesias suæ quisq; diœcesis, idq; uisitando, corrigendo, docendo, constituendo, destituendo, Synodos prouinciales conuocando, Ecclesiarum incommoda, superstitiones, abusiones, pericula inquirendo atq; castigando, scholas Christianas & prochodochia curando. Magna cura sit, ut parochos doctrina uitaq; probatos habeant, Maior, ut sacra reteperagantur, utq; q̃ puriss. & diligentiss. prędicetur Verbum DEI, Maxima uero, ut populus Christianus digne Euangelio conuersetur, et in unitate rectæ fidei perseueret. Succurrat sæpe memorię episcopi, uobis ab Apostolo gentium

tium relictus Canon, bis scriptus, ut plus haberet momenti. Scriptus est Canon in epistola ad Timotheum, & repetitus in epistola ad Titum. Quas duas epistolas una cum posteriore ad Timotheum S. Augustinus ante oculos habendas ei esse præcipit, cui est in Ecclesia doctoris persona imposita, lib. quarto, de doctrina Christiana. Succurrant uestigia uobis prę calcata ab Episcopis Timotheo, Aristippo, Irenæo, Cypriano, Hilario, Martino, Ambrosio, Imo a recẽtioribus etiam, puta Rabano, Leodegario, Lamberto, Colũbano, Vlricho, Thoma Cantuariensi, Ioanne Roffensi, &c̃. qui adiuuerunt CHRISTI ciuitatem, studendo, meditando, scri

scribendo, disputando, cõcionando, exhortando, conuertẽdo, bene operando, exemplis uitæ odoriferæ præfulgendo. Saltem commonefaciat uos officij uestis linea, petalus, chirothecæ, pedum. Quem ego cultum non improbauerim propter significationes: Sumptum uero huius præciosiorem & pompam ostentationemque insolentiorem improbo propter offendicula. Si gaudetis ab Ignatio sanctissimo commendari, æquum est, ut tales uos præstetis, quales ille uult. Vult autem tales, quales desyderamus, & quales uenerari nos uolumus, uti CHRISTVM, quorumcp̃ præcepta seruare ultro uolumus, sicut ignẽ ardẽtem, ad Trall. Impetrent aliquid

quid emendationis ſuſpiria noſtra, Inueniantur efficaces preces noſtræ, quibus cœlum quotidie tundimus. Facite, ut noſtis ipſi ſat docti ac prudẽtes, & ſpes eſt conſore, ut tam amet uos, q̃ nũc odit uulgus, nec hoc ſolũ. Veſtri emẽdatio erit Schiſmatum certus interitus. Nam hæc alioqui uiuunt et confirmantur ſuper uos. Veſtra lux erit diſſidiorũ caligo, alioqui ipſa lucẽt, uobis obſcuris. De his hactenus. Cæterũ quod iam moniturus ſum, maxime omniũ conducet ad frangendam iram Schiſmatis, & promouendam cõcordiam. Nimirum, ſi Põtifex Max. una cum primarijs Diaconis ſeu Cardinalibus & Epiſcopis Monaſticen et Sacerdotiũ ad limam, uel Sarcu-

uel Sarculum potius, reuocarent. Quid enim nunc scabrius, rubigi nosius atque horridius est? Quid magis obductum sentibus & urticis? Clamatum est a partibus q̄ uehementissime in hæc instituta, non ut purgarentur, sed ut euerterentur. At nihil utilius succederet, etiam si præsentia ac recepta omnia semel dispereant, quemadmodum his annis non sine gemitu uidemus. Eapropter consultius esse arbitror, ut Monasteriorū pars aliqua, & sacerdotum inutilium terræ ponderum minuatur, aut amoueat, Siquidē nulla spes est, tantam multitudinem καθήκοντα obnixe facturam, a decem etiam sæuerisse. Synodis. Nec coagulabitur concordia inter Ecclesiam &

Sectas, nisi tale fiet. Nam nos huius potiss. caussa pleraq; communiscimur, ne quis interptetur contumeliam, aut schismatis imitationem, cuius hic nihil simile. Recenseãtur multa uariaq; genera Monastices. Reputetur quot utriusque sexus homines unũquodque habeat. Reputetur, quæ sit singulorum mens, quæ pietas, quæ studia, quæ uita, qui mores, quæ sanctimonia. Reputetur quæ sit horum necessitas, item quæ necessitas tot Regularũ inter se pugnantium, quas maior pars aut odit, aut nolens ac magno tædio seruat, Ad hęc quæ sit necessitas utilitasue tot & toties auctarum adnauseam usq; ceremoniarum, quibus magna pars innititur, plusq;

obsc

obſeruatione præceptorum DEI, & quas aliis magno uenditant, promittẽtes quę non habent ipſi. Reputetur Euãgelium cathedræ Ariſtotelicæ, Reputẽtur indigna Chriſtianis hominibus Mythologia, quæ deliri in hunc uſq; diem adaugent. Reputentur cucullí ſaluandis animabus uenditi, q̃d & alij monuerunt. Reputetur parochiarum detrimentum, parochorum & monachorũ, Imo monachorum & monachorum inter ſe odium atrum & implacabile. Pauca in memoriam obiter adduxi, ut plura inquirantur. Reputetur qui ſit fructus ſingulorum conuentuum, quæ inde ædificatio Chriſtianiſmi, q̃ gloria CHRISTI. Reputetur alimonia, qua tot

sodalitia sustentantur, & unde ea subministretur. Pauperes de labore, imo de corpore suo alunt mendicimonia illa, quibus sæpe hoc dant, q̃d famelici pueri post desyderare coganť. Et istis tamen offerumentis saginantur uentres pigri, utinã nullæ sint inter oĩes malæ bestiæ. Reputetur epicurismus Monasteriorum principalium. Inuitus dico. Vereor ne ea sorores sint ciuitatis abominandæ dictu apud Ezechielem. Perpendatur si iustũ est, Monasterion siue Scholasterion ηχὴ διατριβὴ καλείομ, atq; adeo σεμνεῖον ut olim dicebať, Philone teste, uerti in regia palatia, in qbus multo promptius Volupiæ ac Libentinæ deabus, q̃ CHRISTO DEO seruiatur.

Nemo

Nemo obsecro succēseat uera dicenti mihi, Imo nemo non ingemat ad eam mutationem, orbi grauem, DEO inuisam, Ecclesię criminosam, ipīs uero sic monachis, sic cœnobitis damnabilem. Qui amicus est Monasticæ, is tale admonet. Qui ad tot flagitia mutus est, is agit causam Satanæ, uenantis per silentium intempestiuum mortales flagitiosos igni suo inextincto. Finem faciam, si tamē hoc uotum meum addidero: utinam mentirentur omnes omnia quæ de Monasteriorum grauissimis incōmodis, tam scripserūt q̄ prædicauerunt, non hac nostra tempestate tantum. Proinde reformatis ijs Monasterijs, quæ uidentur Ecclesię utiliora esse, indicatur ue

ra religio. Imperetur ut Monaſti
cen germanam exerceant, ut ſpe
ctent ueteres Eremos ac Anacho
reſes, ut uitam Heliæ, Baptiſtæ,
Pauli, Anthonij, Hilarionis, Ma
carij, Arſij, Benedicti, Bernardi,
& Aſſiſiatis illius celeberrimi ceu
prototypum æmulentur, ut in ſa
cris literis uerſentur, ut uere The
ologi fiant, & Hieronymiani po
tius q̃ Scotiani, ut aliquid operis
faciant, nunquã ocioſi, nunquam
torpentes, ut uocati exeant ad
euãgelizandum, ut inuiſant ægro
tos non uulturij, ut commenten
tur Eccleſiæ ſalubria, qui donum
prophetiæ habent, non ordini lu
croſa, ut conſulentibus ſe Chri
ſtiane conſulant, ut ſint terror fla
gitioſorum, formido impœniten
tium,

tium, lucerna se sequẽtium. Profecto si hæc & huiusmodi posthac in Monasterijs paucioribus ultra diuinum cultum fiant, non admodum diffiderem, quin Sectæ assensuræ sint, præsertim quum sciant, solere ea aliquando uiros doctrina præstantes, præterea uita sancta laudatos producere, deinde acerr. reprehensores uitiorum non modo plebeiorum, uerumetiam quæ Principes & crassi isti Hansones prælicenter delirant, quum tales Euangelistæ interim nostri Cyri matris consilio obaudientes, byssinis sermonibus mulceant atq; expalpent. Postremo demereri Monasterijs fauorẽ insignes Bibliothecas, quas ita asseruant, ut ab ijs studiosorum nemi-

nem prohibeant. Nec illud præ-
termittendum, Nempe ea egenis
de sua egestate largiri, & iuuare
quoscunq; maxime peregrinos,
& subleuare opifices, & commise-
rari agricolas. Cum his confer ge-
sta, eleemosynas, subsidia, cuius-
modi nunc uidemus ac audimus
in Monasteriis uacuefactis. Por-
ro Sacerdotum non sacra admo-
dum uita, concordiam uix impe-
diret, si de Monastica soporata
lis esset. Sacerdotes enim non tan
to laborant odio apud hoc sæcu
lum: Neq; tamen ita ualde aman-
tur ob conuersationis indecenti-
am. Corrigatur itaque sacerdoti-
um, & multi ad paucos rediganı-
tur, ne multi multa peccare per-
gant, sed ut pauci diligentius ob-
seruan

seruari queant. O gubernatores plus nimio tabulatæ nauis CHRISTI, euigilate, excutite lethargum tenacissi. aspicite ordinem, officium, conuersationem presbyterij. Quid dissimilius, quid magis diuersum ab antiquitate, professione, decore ac decoro? Homines e medijs Mundi tenebris in lucem Ecclesiæ constituuntur. Homines nullis apti functionibus ad sacra mysteria admittuntur, imo alliciuntur, trahuntur. Nec alia de causa itur ad ordines, q̃ lautæ uitæ. Qui uolunt humanæ miseriæ sorte exempti reliquum uitæ tempus esse, illi se in ordines conijciunt, ut uidelicet bonũ ocium desidia & pudenda uoluptate conterant. Alea Biblia est, equi pauper

proximus est, spata calamus est, catti mendici sunt, canes ægroti, aues exules, horti hospitalia, thesaurus bona opera, prostibulum pudicitia. Videtis? Ah uidete primates, aut cõtrectate potius. Sed exulceratum tempus & concordiæ spes, non sinit me nunc audacius loqui, utcumque hæc Sectis plausibilia erunt, quæ si semet nosceret, animaduersa Trabe propria, forte collachrymarent citius q̃ loripedes deriderent non recti ipsi, et communibus consilijs operaq; adessent ultronei, ut Ecclesiæ languores alleuiarentur. Vos facite gubernatores, ut Clerus uulgo melius audiat, utq; tot & tam opimi prouentus eleemosynarij rectius collocẽtur, ne unus anab-

pha-

phabetarius equiſo tantum (non honeſtis rationibus acquiſitum) poſſideat, quantum tribus quatuorue probis uiris ſufficeret. Summatim, in ordinem agantur canonici pathiciſſ. uicarij ſordidiſſimi, parœtij indoctiſſimi, & ſuccedet optata pax. Qui inter hos probi ſacerdotes & ſtudioſi ſunt, ij dele ctabuntur generali iſta admonitione, tantum abeſt, ut monitoribus nobis ſuccenſere debeant. Nō male uolumus ſacerdotibus ſacerdotes ipſi, ſed illis nunc bene facimus, olim ſenſuris, quando nimirum a CHRISTO iudicabimur. Ioan. Chryſoſtomus uir incredibilis & ſecundum ſcientiam zeli, cuius lingua ardens facula erat, ferre non potuit ſacerdotes ſui ſæculi,

culi, at is si reuiuiscceret nunc, qui rogo clericatum nostrum ferret? Ferre poterat, sed correctũ. Quid putas dicerent reuersi ad nos Episcopi, per quos Germania fidei catholicæ primũ adiuncta est? Atq; adeo quid dicturi essent priscæ Romæ sacerdotes, quos Numa instituerat? Quid Iouis flamines, quid ipse Metellus, quid ipse Nasica pontifices maximi? Quid tandem uos diceretis o Primates, si Primates non essetis, sed populares? Aut si coram adstans dominus IESVS, cuius flammei oculi in ipsa cordium uestrorũ adyta introspiciunt, uos sententiam rogaret? Forte mouebit uos ira quorundam corrigi nolẽtium. Atqui melius est, homines irasci uobis,

q̃ DEVM altifrementem, qui est ignis cõsumens, a cuius facie liquescunt elemẽta cerę instar. Nec est, cur quisq; queratur, instituta patrum mutari ea ratiõe, quum multo magis ad instituta patrum mutentur noua quædã Ecclesiæ pernicioſiora, q̃ ſalubriora, & tollantur mali mores ut bonis locus ſit. Igitur propter metum DEI, charitatem CHRISTI & proximi, ædificationẽ Ecclesiæ, deſtructionem Synagogę & Turciſmi, amorem uirtutis, famæ ueſtræ celebritatem,, & animæ ſalutem, ſi nõ propter Schiſmata accingimini ad emendandum clerum, idque ad Scripturam ceu reginam dominamq; rerum, ad Decreta deniq; patrum ceu reginæ pediſſequas.

Sic

Sic quæso agatur, ne Ecclesiam cleri sui in posterum pudeat. Porro cõcordiam promouebit, si Sectarij quoq; sacerdotes corrigantur. Horum doctrinam ac uitam indicauimus in libro, cui titulus, Euangelion Lutheri. Sic uiuunt isti quoq;, ut locus nullus illis relinquatur carpendi alios, & cum clericis certare propemodum uidentur, utri improbius uitam exigant. Neq; tamẽ pudet hos, semper in sacerdotum Nonnorum & Nonnarum uitia acutum cernere, ad sua turpiter lippire. Quã habent isti concionem, in qua nõ meliorem horæ partem in traducendo clero consumant? Et faciunt hoc scurriliter, huc duntaxat tendentes, ut uulgi applausus excitent

citent, utq; ſacerdotibus etiã atq; etiam damnatis, ſuæ interim licentiæ parcat populus, & de ſuis moribus tãto melius ſentiat, quo peiora quotidie de ſacerdotum moribus e ſuggeſto audit, digni uidelicet præcones tales, ut ſua ora ſacerdotum bene obeſorum muco & oleto obturarentur.

RESTITVTIO. XXVIII.

POST TRANSACTIONEM pacificam Eccleſiaſticæ rei opus eſt, ut obfecta aliqua, quæ infecta uix fieri poterunt, nulla ſit cõtentio, ne retrogrediatur omnium uotis poſtulata pax. Inuaſio aliquot Monaſteriorũ, direptio phanorum, & co-

& eorundem demolitio æqui bo
nicq; consulenda est, non aliter ac
si fines Germaniæ nup ingressus
Turca talia fecisset. Nam cur ue
lint Monarchæ uilis metalli gra
tia concordiam bene sartam rur
sus dissui? Qui manus adtulerunt
alienis rebus, nihilo ditiores aut
meliores facti sunt, quare nõ est,
ut illis infelix felicitas inuidiam af
flet ullam. Forsan sic placuit fatis.
Ad immensum excreuerant ali
qua, quæ forte incidi isto impetu
debuerunt. Et tẽtarunt idem ex
emplum nonnulli etiam ex catho
licis, quo citius cæteris condonan
dum. Nisi uideatur æquum, ut re
stituãt summam aliquam auri ac
argenti, in confessionem sui scele
ris. Qua summa consuli possit ex

turbatis

turbatis Monachis, & Templo-
rum parochialium ruinis, præte-
rea reparandis ſcholis, eleemoſy-
nis denique publicis. Magnus eſt
quidem auſus, aliena adeo confi-
denter inuadere, Sed quid non
condonādum propter pacem or
bis terrarum, præſertim ſi aliquo
Pœnitentiæ ſigno raptores oſten
dant, ſe contra DEVM & Cæſa-
rem uiolentas manus bonis alie-
nis intuliſſe? Viglephi dogma ſe-
ditioſiſſimum de diripiendis Mo
naſteriȷs & Templis debebant
promachi Schiſmatis huius prius
excutere, q̃ defenderent. Sed uicit
rationem appetitus. Inſuper de
perſonis Monaſticis, quæ coniu-
ges eſſe & duram pauperiem pa-
ti maluerunt, q̃ inuitæ, torpentes,

deliciantes in suis phratrijs precio-
osum tempus consumere, nemo
sanus litigabit. Facile uident sapi-
entes ac sani, utrum præstabilius.
Neq; uero tã dementes ullos esse
reor, qui repudiãdas miseras uxo-
res, & abijciendos his miseriores
liberos contra fas & Leonis no-
ni decretum suasuri sint in inuidi-
am Sectæ, Aut qui adimendas
uxores parochis censeant, & ha-
rum loco concubinas permitten-
das, aut qui acceptas uxores con-
cubinarum loco habendas, ac cõ-
cubinarum nomine coram tota
Ecclesia appellandas esse iudicẽt.
Si tales censores & iudices nunc
uiuunt, mirũ est, Certe nihil ab-
surdius, aut ab humana ratione
alienius censeri ac iudicari possit.

Quanto

Quanto cõsultius est, ut quoquo modo coniugibus factis, coniugium primum concedatur, at ea lege, ne illud posthac repetant. Ad hæc satius fuerit, coniugatos parochos tolerare, q̃ his ui deturbatis atq; abactis, manifestarios fornicatores in sedem horum turpiter sufficere. Perpendendum est, multos imprudenter magis, q̃ impudẽter illapsos in uinculũ istud, Nec omnes esse malos uiros, qui in Sectæ ministerio deprehenduntur, tametsi plurimi sunt perditissimi homines. Et multis denicq; Sectæ ipsius facies displicere cœpit, nec tamen uident implicati malis uarijs, quo sese conferant, aut qua rõne sese inde euoluãt, in isto maximo dissidiorũ feruore.

HABETIS MONARCHAE Christiani orbis, quæ ego minimus Christianorum pro tempore ad recuperandam omniū summæ atq; nobilissimæ Religionis nostræ Vnitatem commoda fore arbitrer, offerens ea: ceu debitum animæ meæ: Pietati uestræ cognoscenda saltem. Iudex ipse aut etiã cognitor aut arbiter tanta in re, ut nolo, ita non possum esse. Vos quæ pacis sunt sectemini, & DEVS pacis erit uobiscum.

ZACCHAR. VIII.

Veritatem tantum & pacem diligite, ait dominus DEVS omnipotens.

Ver

VERBA S. CYPRIANI, EPIscopi & martyris, ad Lutheranos.

NEC PVTETIS SIC VOS Euangelium CHRISTI asserere, dum uosmetipsos a CHRISTI grege & ab eius pace & Concordia separastis, cũ magis militibus glorioſis & bonis congruat intra domestica castra consistere, & intus positos ea quę in commune tractanda sunt, agere ac prouidere. Nam quum unanimitas & concordia nostra scindi omnino non debeat, quia nos Ecclesia derelicta et foras exire, & ad uos uenire non possumus, ut uos magis ad Ecclesiã matrem et ad nostram fraternitatem

reuertamini, quibus possumus hortamẽtis petimus & rogamus. Lib. iij. Epist. ij.

FORMA SYNODI EX S. Cypriano. Lib. quarto. Epist. ij.

QVAE LITERAE (Romanæ sedis) per totum mũdum missæ, & in notitiam Ecclesijs omnibus & universis fratribus perlatæ sunt. Secundum quod tamen ante fuerat destinatum persequutione sopita, cũ data esset facultas in unum cõueniendi, Copiosus Episcoporum numerus, quos integros & incolumes Fides sua & dñi tutela protexit, In unum conuenimus, & scripturis diu ex utraque parte prola

prolatis, temperamentum salubri moderatione librauimus, ut nec in totum spes communicationis et pacis Lapsis negaretur, ne plus desperatione deficerent, & eo ꝙ sibi Ecclesia abdicaretur, sequuti sæculum gentiliter uiuerẽt, nec tamen rursum censura Euangelica solueretur, ut ad communicationem temere prosilirent. &c.

ALIA FORMA SYNODI EX S. Augustino. Epistо. CLII.

CARTHAGINEM VENImus, et nos & Episcopi uestri, et quod prius nolebant, & indignum esse dicebãt, in unum conuenimus. Electi sunt ex nobis & ex ipsis: septẽ hinc: &

septem inde: qui pro causa omnium loquerentur. Electi sunt alij septem hinc, & septem inde: cum quibus, ubi opus erat, consilium pertractarent. Electi sunt quatuor hinc, & quatuor inde, qui gestis conscribēdis custodes essent, ne infalsatū aliquid ab aliquo diceretur. Dati sunt etiā a nobis & ab ipsis Notarij quatuor hinc, & quatuor inde, ut bini cū exceptoribus iudicis alternarent, ne aliqs nostrum se dixisse aliquid causare tur, quod non fuisset exceptum. Huic tantæ diligentię etiam illud est additum, ut et nos & ipsi quēadmodum ipse iudex uerbis nostris subscriberemus, ne quisq̄ diceret in illis gestis aliquid uel postea fuisse corruptum. Cum enim

adhuc

adhuc uiuentibus eis qui ſubſcri-
pſerunt, innotuerint eadem geſta
omnibus locis, in quibus oportet
ut innoteſcant: Sic etiam ad poſte
ros confirmata Veritas perdura-
uit. Nolite ergo (Sectæ) ingratæ
eſſe tantę Miſericordiæ DEI, quæ
per iſtam diligentiam uobis mini
ſtrata eſt. Nulla excuſatio iam re-
manſit. &c̄.

PRECATIO AD DEVM OPT. Max. Pro reformatione Eccleſiæ.

OMNIPOTENS, MISERI
cors, Æterne DEVS, qui
es author puritatis et pa
cis, Effice quæſumus, ut in Eccle-
ſia tua Euāgelij tui doctrina, ſicut
a principio floreat, ut Sacramen-

ta tua recte riteq; tractentur, ut deniq; Conuersatio nostra, in omni pietate et honestate, te digna semper sit, ad gloriã nominis tui & ad honorẽ Religionis nostræ, Per CHRISTVM do. no. Amen.

ECCLESIAE PAX loquitur.

Pax redeo lętæ ramo ornatissima Oliuæ
Pacis amor redeat, me redeunte, tibi.
Paci dede manũ Virgo mea Mater. ab imo
Pacem persequitor: Sum tibi sola salus.
Pax o Nympha mari terra cœloque uerenda.
Pace põt rerũ pulchrius eẽ nihil.

FINIS.